4.

EPILOGVS
AD
QVATVOR COLLOQVIA Dni. Dris. WRIGHTI,

pro mala fide habita; et à JACOBO NIXON Hiberno, non bona fide relata; et GVILIELMO STANLEIO nullius fidei per duelli dicata: Pro amico et Gentili ſuo Dno. THOMA ROE *Equite* editus.

Authore GVILIELMO ROE.

Epilogus 1. *De certitudine remiſſionis peccatorum.*

2. *Quòd Papiſtæ neſciant quid in Miſſa ſua ſumant, veri autem Chriſtiani probè intelligant.*

3. *De reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia abſq; tranſubſtantiatione.*

4. *De impunitate ſummi Pontificis in errore et rebus contra fidem definiendis.*

LONDINI:
Excudebat THOMAS SNODHAM, impenſis MATTHAEI LOVVNES, 1615.

ERRATA.

Pag. 2, *lin.* 12. ſecuritate ultramarina.
Pag. 27 *lin.* 10. decuſſes.

EPILOGI
Benevolo Lectori.

ATque utinam Epilogum dare poſſimus, non dico fabulæ illi religionis pontificiæ, quæ hominum cordatorum ſibilis iam dudum exploſa eſt, ſed ſpectatoribus otioſis, qui ludionum perſonis delectati, adhuc in Theatro deſident, & peractâ tragœdiâ mimis inhiant, & elephantibus funambulis. Certè ad amuſim exemplum quadrat. Novitium enim hoc Pontificiorum genus, cùm è ſacroſanctæ Scripturæ terrâ & antiquiſſimorum Patrum fundamento excuſſos ſe ſentiunt, ἀτεχοβατοῦντες funambuli evadunt; & in illa fidei lineâ quam Romanæ Eccleſiæ tortores ſtrictiſſimis cenſuris extendunt, calcare coguntur. Itaque tot argutiarum flexuris ingenium obliquant, tot diſtinctionum momentis quæſtionis æquilibrium findunt, ut opinionis ſuæ pondus ad ſtupidum vulgus ſtatuminent; ut cuivis non obeſi naris riſum pariter & miſerationem extorqueant. Sed hoc eos confirmatiores facit, quia etiamſi famæ præcipitium pijs & doctis perſolvant, iterum tamen atque iterum in eadem chorda oberrant, velut Hydræ capita abſciſſis ſuccedanea, & adiuratiſſimè profitentur ſe rectæ rationis

cursum securè explicuisse, neque de lapsu fateri volunt priusquam meliori modo nonnulli hîc in Anglia *funambulos agunt. In horum numero est* Thomas Wrightus Anglus, *vir ut in illa schola non indoctus, sed qui propriæ scientiæ astro adeò lymphaticus factus est, ut quidvis contra religionem nostram se præstare posse credat, quemadmodum chartis quibusdam temeritate & impudentiâ perditè inquinatis iam priùs tentavit. Non satis illi fuit, quæstionum controversarum capita oppugnare, sed ulteriùs pergit, & nullam nobis Scripturam, nullam fidem, nullum Christum superesse, impuro ore vociferatur. Hic cùm in quosdam Nobiles* Anglos *incidisset, qui anno superiori ad valetudinarium aquæ Spadanæ sympoſium invitati fuerant, quatuor cum illis colloquia habuit, quæ licèt nihil in se contineant præter subtiles inanitatum bullas, & ludicra scholarum spectacula, tamen quia non desunt quibus ista & oculos & animum perstringunt, consultum duxi saltantis funem rationibus quassare, ut crurifragium hominis aërem calcantis, amicis suis si non ad sanitatem, certè ad pudorem exhibeam. Sed priusquam ipsum Colloquiorum examen discutio, salutandi mihi sunt Advocatus Leodiensis libri Editor, cum Doctore pariter & Patrono, non manuum amplexu, sed balistarum iactu.*

Dno. Dri. VVRIGHT ANGLO, MALÆ CAVSÆ CLIENTI: ET *JACOBO NIXON* HIBERNO, ADVOCATO PEIORI: et *Guilielmo Stanlei*, Patrono peſſimo; Religionis et Patriæ hoſtibus: Pœnam ſeram, et pœnitentiam ſeriam, GVILIELMVS ROE *exoptat.*

QUANTO encomiorum ambitu, quanta verborum pompa vos accipiam triumviri triumphatores? Circumſpectiùs enim ut cum victoribus agendum eſt; et dum à vobis dominationis gloria prærepta eſt, nobis ſola humilitatis ſupereſt ſecuritas: ut quod ultimum eſt captivitatis tributum, linguæ officio in hoſtes tranſeamus. Bellum hoc quod tot annis, tanta partium obſtinatione tractum eſt, in tribus religionis capitibus debellaſtis, et ſingulari certamine confeciſtis. Egregiam verò laudem, et ſpolia ampla referretis; ſi virum nobilem licet religionis Chriſtianæ præceptis optimè imbutũ, et judicij alioqui ſagacis, tamen neq; Theologiæ ſtudio vacantem,

nec in arena hac controverſiarum exercitatum, per veteranum militem, & veteratorem adorti evertiſſetis. Deerant *(ſc.) Iuelli, Whittakeri, Andreæ, Bilſonij*, alijq; militiæ Domini principes, quibuſcum confligeretis, ut in *Tyrone* experiremini; et opima ſpolia de milite, (ſed non hujus militiæ) publicæ famæ & poſteritati figeretis.

Expectabatur à Papiſtis in Anglia, ut Scriba veſter *VVrightus*, qui tantam gloriæ veſicam apud vulgus ſuum ſufflaverat, ut unus omnibus Miniſtris obviam iturus crederetur; jam in tanto otio et ſecurita- ut tramarina, librum aliquem famæ ſuæ & cauſæ vacillantis tibicinem ederet. Sed fruſtra fuerunt; ecce enim commoto monte, et nutanti vertice, et intumeſcenti latere, prodijt mus deridiculus, qui quatuor in locis armaturam fidei, non ſine dentium dolore roderet, ut uel tenuiſſimis famæ ramentis animum gloriæ famelicum ſaturaret. Quàm verè vaticinij illius antiqui fidem abſolutam vidimus, quo prædixit Deus, quòd Semen mulieris Serpenti caput comminueret, vafer autem Anguis calcaneo Chriſti inſidiaretur. Nam cùm tantum *VVrighto* animi non ſit, ut cum Centurione aliquo congredi ſuſtineat, et ipſum pectus Eccleſiæ noſtræ petere, inſidiatur calcaneo; et homines nobiles, qui tantùm in hypotypoſin et veſtigium doctrinæ Chriſtianæ per obedientiam fidei conceſſerunt, ſophiſmatum ſuorum laqueis irretire conatur, et tanquam de anteſignano aliquo ſubacto triumphum cecinit. Habent hoc viri magnanimi, ut honorē ab inferiori materia partum faſtidiant: Nimis anguſtè apud ſe habitat, qui in rebus facillimis gloriam extendit; et malè ſe per omnium ora venditat,

venditat,qui facta omnium non tranſcendit.Sed cùm hoc conſilio ad aquas Spadanas conceſſiſſet, ut araneæ inſtar, caſſes ſuos diſponeret, quibus homines in fide inſtabiles iliaquearet : incidit in gentilem meum D^nn^. *Thomam Roe*, qui licet iſtis de Religione concertationibus non aſſueverit : tamen ea ingenij perſpicacia eſt,et illa fidei conſtantiâ, ut laborẽ et ſpem ſuam in eo *VVrightus* veſter luſerit : ſicut ex mutila hac, & fraudulenta narratione veſtra ſatis adhuc conſtat. Quæ tamen ſi cum fide et candore boni viri à vobis propoſita eſſet ; minus haberet D^r^. veſter undè intumeſceret.

Sed Advocatus iſte qua fide contra veritatem, & conſcientiam in foro plerumq; litigat, eâdem ſe hîc geſſit per omnia. Ita enim ſcribit. *Huic ergò cum ego diſputationi ferè univerſæ adfuerim, & ea quæ ab utroq; dicta fuerint audiverim, & Domini D^ni^. religionem & rationes approbaverim ; & D.* Roe *Argumenta & rationes floccifecerim : hanc inquam ob cauſam, & quæcunq; memini ſcripſi, & quantum recordatus ſum,quod quidem ad rem ſpectaret, nihil omiſi, ſed fideliter (quantum labilis fert memoria) omnia retuli.* Duo ſunt quæ rerum notiones ſemel acceptas animo fortitèr imprimunt, primò ipſius memoriæ tenacis indoles ; ſecundò rerum apprehenſarum amor : nam et ſenes à quibus memoria velociùs fugit, quàm ipſi à ſenſu et memoria;tamen quæ impenſiùs amant probè meminerunt. Quàm fidam ergo à te Advocate narrationẽ expectabimus,cujus memoria tam labilis eſt,ut ſtatim cadat : veritatis autẽ affectus tam abruptè cecidit,ut in caſu perſiſtat ? *Approbaſti Doctoris religionem & rationes*: Optimè *(ſcilicet)* et ut aliquem de ſylvis Hibernicis

ructare deceat, ad veritatis examen te compoſitum teſtaris. Non religionem propter rationes, ſed rationes propter religionem amplecteris. *Domini autem* Roe *rationes et argumenta floccifeciſti.* Et quomodo credibile eſt in illa memoriæ tuæ area quæ tam violento præiudicati affectus ſpiritu purgatur, potuiſſe floccos rationum & argumentorum ſubſiſtere, quæ à Domino *Roe* propoſita ſunt. Non mirum ergò ſi tam pauca de multis quæ à *Roe* dicta ſunt, ſcripto inſerueris (quod ipſe alibi fateris) quià illa ſolùm retu-
Bellarminum ſequutus. liſti, quæ ad rem (ut ais) videbantur ſpectare. Id autem unicè ad rem tuam ſpectabat, ut argumenta Domini *Roe*, & numero pauciſſima, & pondere quàm leviſſima apparerent. Et quidem majorem veniam fraudulenta hæc narratio mereretur, ſi linguæ tuæ mercenariæ, in foro pro victu ſudandum eſſet. Nunc cum Notarij publici partes ſuſceperis, ut commentum vanitatis tuæ, pro veritatis commentario, mundo obtruderes, falſarij notam nulla aqua benedicta elueris. Sed qui tam prava laboras voluntate, ut intellectum aſſentari ſibi cogat, potiùs quàm veritatis formæ aſſentiri: et tam infida ſis memoria, ut illa ſolùm recorderis quæ in rem tuam ſunt, adhuc iudicij infœlicioris es, qui *Stanleium* patriæ ſuæ odium, operis Patronum optaſti. *Quotieſcunq; te video vel cogito* (inquis) *Clariſſime* Stanleie, *videor mihi videre aliquem Abrahamum, Moſem, Ioſuen, Gedeonem, Davidem, Iudam Macchabæum, &c.* Video te non ſine cauſa ad aquas Spadanas profectum; luſcus factus es, ſed ex morum potiùs quàm humorum defluxu. Et non ſecus ac Hiſpanus ille *Donqueſota*, in homine perditiſſimo exempla pietatis ævo noſtra auguſtiora

imaginaris. Sed indiligenter in morbi tui remedio medicus fuit: non aqua Spadana tibi, ſed Anticyræ deſtinandæ erant. Vide enim ex quàm anguſtis ſimilitudinum lineis monſtrum hoc Stanleiani paralleli concinnaveris. *Abrahamus* quidem altari lignis extructo in promptu habuerat novam victimam offerre: & ſimiliter *Stanleius* tuus pulverariæ conjurationis conſcius, aræ ſubterraneæ inuſitatum holocauſtum præparaverat. Sed *Abrahamus* Deo jubente filium, *Stanleius* Diabolo ſuadente patriam, & patriæ Patrem immolâſſet. Et loca quidem nativa animo revertendi tàm *Moſes* quàm *Stanleius* deſeruerunt; ille *Ægyptum* ut Deo, hic *Angliam* ut Pontifici Romano famularetur: ſed in hoc latè differunt, quòd *Moſes* de regreſſu cogitaverit, ut populares ſuos in libertatem aſſereret: *Stanleius* verò ut ſuos in ſervitutem *Hiſpani* redigeret. In *Ioſue* verò, *Gedeone*, & *Davide*, quid habes quod ad *Stanleium* tuum alludas? Illi urbes alienigenis ereptas genti ſuæ adjunxerunt; hic oppidum confœderatum fidei ſuæ commiſſum hoſtibus prodidit. Illi pro lege Dei contra hominum ſuperſtitionem decertarunt; hic pro commentis hominum contra legem Chriſti pertinaciter ſtetit. In *Iuda* tamen habes aliquam ſimilitudinis anſam, nec te perſpicilli deceperunt. Verè enim *Iudæ* comparandus eſt, ſed *Iſcariotæ*, non *Machabæo*. Propterea ſatis mirari non poſſum, cùm te ſic exclamantem audio: *Mira ſunt quæ de te prædicarent etiam ieiuni Oratores, ſi talem provinciam vellent ſuſcipere. Quoniam res à te præclarè geſtæ tantam dicendi materiam ſuppeditarent, ut balbum redderent eloquentem, & infacundum maximè diſertum.* Certè valdè jejunio confectum eſſe

oporteret oratorem, qui ob ventris famelici ſolatium, mirum aliquid in tam ſterili materia excogitaret. Et id unum videtur tibi ad eloquentiæ laudem defuiſſe, quòd non ſatis jejunus ad dicendum acceſſeris. Propterea conſultum fecerit *Mecænas* tuus, ſi de hordeo tibi deinceps demat, cùm aliquid in hoc genere tentandum occurrit. Quòd ſi ea ſit *Stanleij* virtus, ut ex balbis & infacundis tam diſertos & eloquentes reddat, Ieſuitis ſeminariorum moderatoribus ſuaſerim, ne in alio argumento puerorum ingenia exerceant, qui per hos pœnè quadraginta annos quibus juventutem *Anglicam* inſtruxerunt, neminem adhuc procudere potuerunt, qui cum aliqua laude ſtylum tractaret. *Verùm optimè* (inquis) *novi magnanimam verecundiam tuam, quâ potiùs magna præſtare quàm de te magna audire velles.* Obſecro te, an exotici hi flores in ſcholis *Duaci* aut *Sancti Audomari* naſcuntur? Verecundiam puſillanimem antè credideram. Eſt enim timor juſtæ reprehenſionis quæ accidere poſſit. Qui autem magno ſunt animo, tam de aliorum cenſura quàm de propria conſcientia ſecuri degunt. Anguſti animi eſt quiſquis ſe ad opinionem alterius contrahit. Et propterea verecundiam virginum & puerorum non maturæ ætatis virtutem declararunt, qui iſta ſubtiliùs inſpexerunt. Tu verò novo pigmento verecundiam infeciſti, ut haberes unde *Stanleium* tuum conſoleris, ſi tam ægrè facinorum ſuorum narrationem auribus, quàm memoriam animo appellere ſentiat. *Egregia facinora tua vidit* Hibernia, *experta eſt* Hollandia, *agnoſcit* Hiſpania, *prædicat* Gallia, *fatetur* Flandria, *neque poteſt negare* Anglia. Ergo cum bonâ frontis tuæ ſerenitate ſuſtine-

bis,

bis, ſi elogij tui vocem ad aſſenſum noſtrum repercuſſam, inſtar Ecchus remittamus, & *Stanleium* hominem egregiè facinoroſum dixerimus, quod in *Hiſpanis* conſilio ſuo immiſſis vidit *Hibernia*, in *Daventriæ* proditione experta eſt *Hollandia*, in ſtipendio proditioni imputato agnoſcit *Hiſpania*, in pluribus locis fruſtra & cum ignominia tentatis prædicat *Gallia*, & nullam illi præfecturam unquam integrè credendo fatetur *Flandria*, neque poſt tot in patriam ſuam molitiones, & præſertim expeditionem quam ad fragorem pulverariæ conjurationis in nos habiturus erat, negare poteſt *Anglia*. Et hic ille miles veteranus eſt, *quem decet* D. Roe *adhuc tyronem & extra chorum ſuæ profeſſionis ſaltantem prudentia ſua inſtituere, & audaciam coercere, & pijs præceptis quando dabitur occaſio admonere ne effutiat quod neſcit, neque ad pugnam accedat antequam militarem ſcientiam addiſcat.* Quid tu homini, nullum retro prudentiæ aut ingenio nomen debenti, jam verò ab ætate deliro, & à malitia obſtipo tantam provinciam imponis? Si *D. Roe* in choro Prophetarum minùs decorè ſe gerat, tu hominem ſurdaſtrum, & quod pejus eſt, malè audientem, idoneum ducis qui leges chori, & cantuum pulſus, & vocis canones moderetur? Cave tibi ne patronum tuum in ſcænam Adagiorum *Eraſmi* traducas, ut ſicut olim de *Saule* vulgò jactabatur, *Numquid & Saul inter Prophetas?* ita etiam ab inſipido illo aromate publicus ſermo condiatur, *Numquid Stanleius inter Theologos?* Si enim de oppido aliquo hoſtibus tradendo, de expeditione in patriam movendâ, de conjuratione in vitam Principis, de molitione aliquâ ſubterraneâ, quæ infernum in ſuperos eructet, conſi ium

ſilium ſtatuendum ſit, *Stanleius* abundè ſuppleret malitia quod deeſt ingenio. Et huic tu unquam ſatis conſultus conſulueris, ut quandò dabitur occaſio pijs præceptis Dominum *Roe* admoneat, ne effutiat quod neſcit: Crede mihi nunquam tam crinitam in hac cauſa reperiet occaſionem, ut unum cincinnum redarguendi cenſor ille apprehendat: ſed quandocunque hoc tentaverit, tantam comæ ſylvam demulcendam præbebit occaſio, ut vel puer quiſpiam illa apprehenſa moneat *Stanleium*, ne quod neſcit effutiat. Sed dic bona fide numquid impietati deputas effutire hominem in Religione quod neſciat! et te fugit quod Papiſtarum vulgò perſuaſum ſit, optimam religionis frugem in eo creſcere, ut quis quod neſciat in fide teneat, et in precibus effutiat! Habeat ergo ſibi delicium ſuum *Wrightus*, *qui exiſtimabit non minùs* Stanleij *nomine opus hoc, quam præclarum Templum inſigni facie ſeu frontiſpicio decorari.* Mihi verò qui aliquid in *Vitruvio* de Architecturæ legibus me obſervare memini, videtur aptiùs de *Stanley* nomine, et tam ſacro capite potuiſſe diſponi: ſi in Templo aliquo Libitinæ quæ in quatuor portis *Londini* ſanctorum veſtrorum reliquijs dedicata ſunt, frontiſpicij loco figeretur. *Ideo* (inquis) *exigua hæc & nuper nata follia tibi offero fructus ut ſpero in poſterum oblaturus.* Bene ſit Compoſitoris manibus, et Correctoris oculis, qui Prælo Libri tui invigilarunt, qui exemplo tuo ducti folia tua in *follia* mutarunt. Verè enim ineptiæ ſunt, quod deinceps prolixiùs audies. Et ſi fructus quos porrò daturus es, his follijs reſpondeant, ad agnatos amandandus es. Ambiguum enim nobis feciſti, utrũ Proloquium quod à te conſecratur, an Colloquium

Doctoris

Doctoris quod posteà narratur, de stultitia splendidiùs certent. Cujus rei argumentũ in ultimo Epistolæ epiphonemate dedisti. *Verum sicut grata Ciconia vnum ex pullis quasi pro censu Domino Domus in qua nidificavit relinquit: ita ego pro tua singulari in me humanitate atque benevolentia, ex nidulo meo hunc alieni ingenij partum à me novo quasi vestimento renatum, non solùm tibi relinquo, sed dico consecroque.* Non poteras ne destinatò quidem emblema magis in rem tuam incommodum depingere. Est enim Ciconia pietatis in Patriam et Parentes hyeroglyphicum, quia juniores in illo genere, parentes senio confectos sustentant: cujus ut apud *Stanleium* mentionem faceres, qui tot in Patriam conspirationibus seipsum infamiæ capital obtulit, quid aliud egisti, quàm (sicut in Fabulis est de Promethei jecore) ut Ciconiam illi in tormentum dares, quæ ad disparitatem exempli conscientiam illi continvò rostro foderet.

Sed neque usque adeò eleganter ornatum *Wrighti* partũ edidisti: sed quemadmodùm Rex *Ammonitarũ* servos *Davidis* superius vestitos, usque ad nates decorticavit: ita tu sermonem *Wrighti* alicubi phrasium tuarum centonibus commendatum, alibi tamen tam protritè & tam barbarè loquentem prodidisti, ut sapientiorem deinceps si sapiat sutorem delecturus sit. Neq; verò tantam tibi dicendi facultatem suppetere video, ut de styli venustate supercilium erigas, nondum enim Latine nedum eleganter loqui didicisti, ita enim scribis. *Ignoscat mihi Dominus* Roe, *nam ut verè fatear tam multa dixit, et tam multa involvit, vt in fine quid dixerit, credat mihi Lector, ego arbitror illum ignorasse.* De hoc in *Priscianum* peccato aurem tibi non

non vellicaſſem, niſi et ſermonis tui inſolentia erga Dominum *Roe*, & mos ille à veſtris nuper arreptus me impelleret, qui cùm in cauſa diſputata minùs habeant quod ſugillent, de minimis linguarum et artium circumſtantijs pulicum inſtar latera nobis fodicant.

Tu verò non ſolùm in ſermone, verùm etiam in fide ſolœciſmum commiſiſti, qui te ultra omnium legum metam *Stanleio* ſervum in ſeculum ſeculi tradidiſti. Tota veſtra religio ſacerdotum lucro & pompæ externæ inſervit, cujus Pontifex ſe ſervum ſervorum Dei in proſtibuli titulo profitetur. Pontificum (per vos) ſervi ſunt ipſi Reges et Principes, quibus de alieni Domini jure famulatur *Stanleius*; huic tu longa ſervitiorum ſerie te mancipium tradidiſti. Valete tria animalia Religionis ſervæ, & in ſervitutem nata.

Epilogus

Epilogus ad Colloquium primum.

TV dixisti Domine D', D^n^ Io: Roe tuta conscientia, ac sine gravi scelere non potuisse à Deo petere veniam suorum peccatorum.

DOMINVS DOCTOR.

Verum est: et hac ratione motus dixi. Nam qui fide divina certus est peccata sua sibi esse remissa, non potest sine gravi scelere veniam peccatorum suorum petere: Sed Dominus Roe, *& omnes omninò solidi Protestantes, fide divina credunt peccata sua sibi esse remissa: Nulli ergò Protestantes poterunt sine gravi scelere petere veniam suorum peccatorum.*

Duo hîc sunt in quibus veritatis inhumaniter à te pulsatæ innocentia à me vindicanda est: 1. Nego grave scelus esse, debitorum quæ certissima fide expuncta credimus, novam indulgentiam petere: imò, nego non solum scelus, sed vel peccatum eo facto contrahi: 2. Nego omnes veros Protestantes in illam fidei certitudinem vel ascendisse, vel si non ascendant de fide salvifica excidisse. Horũ prius in Maiorẽ Propositionem tuam irruit: alterum in minorem, ut in priori iudicium tibi caligasse, in sequenti rerum notitiam defuisse sentias. Nam si admiserimus ut certum, quòd peccato se obstringat, qui criminũ quæ remissa credit, novam indulgentiam flagitat: non tamen grave scelus contracturum arbitror. Est enim peccatum, secundùm *Augustinum*, aversio amoris à bono incommutabili, ad bonum commutabile. Ergò scelus, cujus nomen magnitudinem quandam peccati extendit, est major aversio ab illo puro fonte bonitatis *Respon.*

tatis, ad ſentinam boni apparentis. Qui ergo conſcientiarum tam ſagax medicus es, ut minimam earum intemperiem, ex confitentium pulſu tentato calleas; dic obſecro ad quam ſpeciem bonitatis creatæ, miſera anima, & peccatorum ſæpiùs remittendorum ſolicita tam enormiter declinet?

Dabo tibi uberiorem materiam litigandi; non loquor de peccatorum remiſſâ, quæ multis de cauſis (poſteà ſuggerendis) ſæpiùs efflagitari poteſt. Sed quid ſi quiſpiam Deo ſupplicet, ut mundum hunc iam denuò creet? utcunq; fortè ſtultè faceret, ſceleri tamen minimè obnoxium exiſtimarem. Vel enim mundum ut nondum perfectum conſideraret, & ſic deſiderium voluntati divinæ conforme haberet, dum id ad gloriam Dei optaret fieri quod ut nondum factum conciperet. Vel ut in meliùs renovandum peteret; quod aliquando futurum prædixit, qui dixit; *Ecce ego nova facio omnia*: vel cogitaret omnia facta à Deo, in eo quòd conſervantur in natura ſua, quodam perpetuo actu ſemper creari; à qua meditatione Scholæ veſtræ non abhorrent. Vel deniq; ſi deſideraret eundem numero actum creandi, quoad initium temporis, in duobus temporibus repeti; ſtuporem mentis argueret, non pravitatem voluntatis: Cujuſmodi multa à Cerritis & Morionibus fiunt, quæ vos ipſi à peccatorum cenſura eximitis.

Sed pro peccatorum veniâ ſæpiùs repetenda, etiam cum de fide divina credimus indultam, & ſupracenſæ, et plures contra te rationes dimicabunt. Nam qui de peccatorum debito expuncto certus eſt, poteſt tamen has cauſas in animum inducere, quibus ad gratiam eandem ſæpiùs recipiendam Deum ſolicitare poſſit.

Primò

Primò, reſpectu gratiæ divinæ, quæ gradus extenſionis admittit, poteſt rogare, ut non quovis miſericordiæ ſenſu ſed ampliori, non ſimplici ſed multiplici dignetur Deus peccata ſua condonare.

Exemplum huius, omni exceptione majus, in *Davide* habemus. Qui cum ex ore Prophetæ certior factus eſſet remiſſa ſibi fuiſſe peccata illa adulterij & homicidij, tamen poſteà humillimam orationem concipit: qua veniam peccatorum iam prius obtentam redintegrari deſiderat; Sic enim orat: *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam.* Audis purum putum Proteſtantem, qui cum de fide divina certus eſſet impietatem ſibi remiſſam fuiſſe, pergit tamen inſtantiùs eandem gratiam iterum atq; iterum efflagitare.

2 Quia ipſa criminis purificatio latitudinem ſuam habet. Cum enim Agnus Dei qui peccatum mundi tollit, in ſeipſum ſuſcipere peccata fidelium penitentium æſtimatur, eoſq; ab illorum reatu liberare, tunc lavari dicuntur peccata: quia ſicut aqua corpori affuſa, ſordes in ſe ſuſcipit, carnem verò emundat; ita Chriſtus illuviem peccatorum noſtrorum ſibi ipſi imputans, nos exinde mundos et innocentes præſtat. Sed eſt etiam ulterior purificatio, cum ignis Spiritus ſancti, animum divino amore incenſum, ab ipſo ſordium affectu, & contagione peccati liberat. Quod probè expreſſit Pſalmographus in eodem Pſalmo. *Amplius lava me ab impietate mea, & à peccatis meis munda me.* Et alibi, *Vre cor meum & renes meos.* Pſal. 26. 2.

3. Cum fœditas peccati intentius conſiderata concutit conſcientiam, ut tanquam de novo peccato indulgentiam

indulgentiam flagitet : audi Prophetam hanc ipſam cauſam prætendentem, cur iterum velit à peccatis lavari; *Ab iniquitate mea munda me; Quoniam peccatum meum ego cognoſco.*

4. Cum ante oculos ità obverſatur flagrans priorum ſcelerum memoria, ut veluti iamiam facta abhorreat, et ultrices pœnas extimeſcat, quas ad delinquentium correctionem et cautelam, et aliorum exemplum ſæpè Deus infligit, etiam cum peccatorum debitum reſcidit. Nam et id corollarium à Propheta additur; *Amplius lava me, Quoniam peccatum meum coram me eſt ſemper.*

5. Cum uſitato Spiritus ſancti ſolatio, ob divinæ amicitiæ iura inhumaniter pulſata deſtituimur : cauſam peccato deputantes, iterum petimus à peccatis eximi. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.*

6. Quia peccatum ſubſequens præcedentis pœna eſt, maximè vero peccati originalis, & in illo ſemine involvitur; ſupplicari poteſt etiam ab eo qui iniquitatem ſibi non imputatam credit, ut exhauriatur et auferatur iterum peccatum *(ſc.)* ebulliens illa ſcaturigo, et ſuperiorum criminum reliquiæ, & infirmitatis & ignorantiæ & pravarum inclinationum vulnera : undè & illa ratio ſubjicitur à Propheta, dicente; *Amplius lava me, &c. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccato concepit me mater mea.*

Tot autem veritatis huius teſtimonia apud *Davidem* ſuppetunt, ut mirer Doctorem qui quotidiano Pſalmorum officio recitando obligatur, non impegiſſe in vnum aut alterum locum. Quoties enim profitetur Propheta ſe certum eſſe de Dei gratia

gratia & criminum indulgentia? & tamen fores miſericordiæ identidem pulſat.

Præterea, quemadmodum duplex eſt condemnatio; alia quoad ſententiam Legis, quæ impœnitentes & incredulos in præſenti ſeculo confodit; alia quoad cenſuram Iudicis, quæ in ſupremo illo rerum tribunali diſtringenda eſt: ita etiam peccatorum remiſſa vel abſolutio dupliciter conſiderari poteſt; vel ſecundùm Legis Euangelicæ decretum, cujus gratiam fideles jam hauriunt; vel ſecundùm extremam Iudicis ſententiam, cujus intuitu ſupplicari poteſt etiam à confidentiſſimis, *Vt inveniant apud Deum miſericordiam in illo die.* Sed potiſſimùm remiſſio peccatorum indies petenda eſt, propter peccata illa in quæ iuſtus ſepties in die impingit, quorum remiſſio promiſſa eſt, ſed credentibus, pœnitentibus, petentibus. Unde fides peccatorum remiſſorum non modò non tollit hanc veniæ repetendæ ſolicitudinem, ſed magis confirmat.

Dic mihi *ſuper verbum boni viri*, ſi Regi *Davidi* à confeſſionibus fuiſſes, numquid hunc ſtimulum illi ſub pectore vertiſſes: Quòd tutâ conſcientiâ, & ſine gravi ſcelere, non potuiſſet veniam peccatorum à Deo petere, quia de fide divina, certus eſſet peccata ſibi fuiſſe remiſſa, & NAVARRAM illi authorem laudaſſes? Reſpondiſſet Propheta, *Dixi confitebor adverſus me iniuſtitiam meam, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei:* (et tamen) *Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.* Audi: non ſolùm peccator, ſed & ſanctus (etiam de fide certus ut *David*) orabit Deum pro peccatorum remiſſione.

Phraſis à Doctore uſurpata.

Pſal. 32. 5.

Et in *Pſalmo* 85. *v.* 1. 2. *Domine benedixiſti terram*

 tuam,

tuam, avertisti captivitatem Iacob, *remisisti iniquitatem plebis tuæ, mitigasti omnem iram tuam.* Ecce benedictionem, conversionem populi à peccato, indulgentiam et omnimodam misericordiam audis, idq; non spe humanâ sed fide divinâ præsumptam: et tamen in eodem Psalmo sequitur, *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam à nobis; ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Denuò conversionem, misericordiam, indulgentiam, gratiam postulat.

Sed Non dicit (inquis) *Scriptura, confirma nobis fidem remissionis peccatorum.* Et quid aliud sonant illa:

Psal. 51. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me,* nisi ut per spiritualis solatij arrhabonem confirmetur illi fides peccati remissi?

Psal. 68. 29. Et alibi, *Dic animæ meæ, salus tua ego sum,* (i.) Anima mea de salute sua certò persuasa sit, tanquam sub atteſtatione divina, vel de fide vocis divinæ. Item, *Confirma hoc in nobis Deus quod operatus es.*

Sed tibi tuisq; hoc consilium dederim, qui spiritum servitutis, & legem timoris tam anxiè conscientijs hominum incutitis, in eoq; à nobis divortium facitis, qui fiduciam gratiæ, pacem, & gaudium peccatoribus pœnitentibus instillamus; Ut memineritis Deum & Angelos Dei, quotiescunq; hominibus in historia sancta apparuisse leguntur, nunquam timorem sed fiduciam verbis inspirasse. Atq; ad imitationem scholæ illius cœlestis, fideli *Abraham* trepidanti de districto Dei judicio, & de patrono & causa pariter solicito, dicimus, *Noli timere, Christus protectio tua, & merces tua magna erit.* Dicimus *Gedeoni* alicui cujus conscientia perturbatur, *Pax tecum, ne timeas.*

Dicimus

Dicimus *Zachariæ* alicui qui non facit quod vult in ſterilitate animæ ſuæ, *Noli timere, exaudita eſt deprecatio (ſc.) deſiderij tui.* Dicimus homini de conſideratione indignitatis ſuæ formidanti, *Noli timere* Maria, *inveniſti gratiam.*

Quantò propior eſt Religio noſtra ſerenitati cœleſtis patriæ, quâ hujuſmodi tranquillis tepidiſq; flatibus conſcientias hominum timore rigentes delinimus: quàm veſtra; quæ nihil præter timorem, & anxietatem, animis hominum affundit? Ut non obſcurè appareat, ex qua plagâ mundi ſpiritus ille hibernalis deſcendat, Qui dixit, *Aſcendam, & ero ſimilis Altiſſimo, ponam ſedem meam in latere Aquilonis.* Sed neq; in terræmotu, neq; in tempeſtate, nec in igne violento, fuit Deus, ſed in vocis tranquillitate.

Venio jam ad Minorem tuam, *(ſc.) Omnes omnino ſolidi Proteſtantes fide divina credunt peccata ſua ſibi eſſe remiſſa*: quæ ut cum *Sapiente* loquar; MINOR *eſt ad intellectum iudicij & legum noſtrarum.* Neq; enim eò uſq; infirmitatem fidei extenuamus, ut ad inanitatem tranſmittamus: ſed corpus fidei ſolidum agnoſcimus, etiam cùm pedibus fidei vacillantibus ignoſcimus. *Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum; Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem:* audis confidentiam Proteſtantis. *Avertiſti faciem tuam:* ſentis tentationem. *Et factus ſum conturbatus:* animadvertis dubitationem, eamq; *Dauidis. Quo minor eſt quiſquis maximus eſt hominum.* Sap. 9. 5. Pſal. 30. 7.

Omnes (inquis) *ſolidi Proteſtantes fide divina credunt peccata ſibi eſſe remiſſa.* De ſoliditate noſtra parum ſolide ſentis. Multi enim ſunt quoad doctrinæ ſinceræ profeſſionem firmi Proteſtantes, qui vel præ

impuritate vitæ non poſſunt, vel præ imbecillitate fidei non audent, intrepidè amplecti remiſſionem peccatorum. Sed ſcire vis quid Proteſtantem ſolidum faciat ut non inaniter vobiſcum tinniat? Triplex eſt plenitudo quæ in omnes verè fideles redundat. Primò *Verbi* licut dicitur apud Eccle. *Qui diligunt Deum replebuntur lege eius.* Et *Verbum Dei manet in vobis*, 1 *Iohn cap.2. ver.14.* Quod fit cum verbum Dei ſcriptum ad ſalutis noſtræ inſtructionem ſufficere credimus, neq; præter hunc fontem deſideramus de calice Babylonis liquorem nobis infundi. Secundò, eſt etiam plenitudo miſericordiæ, de qua Pſalmiſta, *Repleti ſumus manè miſericordia tua*, quia abcedente nocte Legis, ſub aurora Euangelij non ſpiritu timoris, ſed miſericordiæ, fide, et ſenſu imbuimur. Idq; perſuaſum habet quilibet verè Proteſtantium, per ſolam Dei in Chriſto miſericordiam, remitti pœnitentibus peccata. Tertiò, eſt plenitudo Iuſtitiæ imputatæ, de qua Apoſtolus: *Eſtis in illo repleti qui eſt caput omnis principatus.* Quià non in nobis, ſed in ipſo nos juſtos credimus, etiam cum iuſti ſumus. Et qui hanc plenitudinem habent fidei ſolidi Proteſtantes (ut tuo verbo utar) vel potiùs verè fideles dici poſſunt, etiamſi ad illud fidei incrementum non pertigerint, ut indubitanter credant remiſſa ſibi eſſe omnia peccata anteacta. Aliquandò enim in *ſola ſpe*, non in certa fide ſubſidit illa perſuaſio, quæ etiam tentationum acceſſu graviter concutitur. Fal'eris autem ſi opineris hoc à nobis doceri, quòd quilibet Chriſtianus debeat certiſſima fide præſumere, peccata ſibi à Deo indulta eſſe, abſq; pœnitentia & novæ vitæ propoſito: multò minùs ut indulgentiæ bullas in futurum

Pſal. 90. 14.

Coloſ. 2. 10.

datas

datas existimet. Et propterea qui non sentit in se odium peccati, & grande sanctitatis desiderium, non potest in fundamentis doctrinæ nostræ, non solùm fidem, sed neq; spem indulgentiæ extruere. Nam ut hoc ædificium erigatur, quaduplex alia plenitudo desideratur. Primò, *Scientiæ*, pro qua Apostolus precatur, ut Colossenses impleantur agnitione voluntatis divinæ, *Colos.* 1. 9. Secundò, *Spiritus*, ut igne charitatis à spiritu ventilato, ad omne bonum opus ferveamus, *Impleamini* (inquit *Paulus*) *spiritu*, Et *Abundetis in virtute spiritus sancti.* Tertiò, *Fructum iustitiæ, Vt sitis sinceri & absq; offensione in diem Domini, repleti fructibus Iustitiæ.* Quartò, *Consolationis & gaudij spiritualis*, *Rom.* 15. 13. *Impleat vos Deus omni gaudio & pace in credendo.* Sed ista plenitudo & soliditas spei est in plurimis, non autem rei; & meta ad quam contendimus, non via in qua tendimus, quam Ecclesia in perfectis suis apprehendit, in imperfectis verò tantùm prænsat.

Coloſ. 1. 9. Ephes. 5. 17. Phil. 1. 11. Rom. 15. 13.

Sed priusquam ulteriùs pergo, distinguendum est de fide divina, de qua ambigitur, an quisquam fide divina credere debeat peccata sibi remissa esse. Duobus autem modis fides *Divina* dicitur, vel ratione *descensus*, quia à Patre luminum descendit; vel ratione *assensus*, quia assentitur objecto tanquam veritati à Deo revelatæ cui non potest subesse error. Priori modo fides illa qua verè pœnitentes, apprehendimus remissionem peccatorum per Christum, æquè divina est ac illa qua credimus cuivis articulo fidei. Quia quicquid à Deo donatur supernaturaliter, æquè à Deo est. Secundo modo fides qua credimus articuculis fidei (ut plurimũ) magis divina à nobis habetur,

quàm illa qua credimus indulgentiam peccatorum. Quia cum majore certitudine fertur intellectus in articulos fidei, quàm in peccatorum remiſſam. Non enim cum tanta evidentia luminis divini videt peccata ſibi remiſſa, qua intelligit Chriſtum eſſe Meſſiam. Quià adjungitur una pars objecti *(ſc.)* experientia humana, quòd illa omnia facta ſint a nobis quæ Deus ad juſtificationem requirit: quod non ſemper paris certitudinis eſt cum propoſitionibus fidei generalibus quæ in verbo Dei leguntur.

In hoc etiam differunt: Quià res fidei communis propterea indubitanter creduntur, quià in ſeipſis veræ ſunt abſq; actu intellectus noſtri. Sed remiſſio peccatorum noſtrorum propterea vera eſt, & infallibilis, quià à pœnitente debitis circumſtantijs adhibitis, indubiò in Chriſtum creditur. Tantumq; habet firmitatis objectum, quantum habet actus fidei credentis. Licet enim pœnitentia ab operibus mortuis, & fides in Euangelij hiſtoriam præcedat, ſunt tamen tantùm diſpoſitiones ad juſtificationem, quæ ſolo fidei in Chriſtum applicatum actu completur. Vndè Apoſtolus ait *fidem eſſe hypoſtaſim rerum credendarum, (id eſt)* ipſam ſubſiſtentiam eorum quæ ſperamus, quatenus ſperantur aliquando poſſidenda, quià ſolùm credendo noſtra fiunt, quæ etiamſi non credamus, vera ſunt in ſemetipſis.

DOMINVS DOCTOR.

Vnde tu habes in Scripturis, quòd Domino Roe *ſint remiſſa peccata? Nam ex veſtra doctrina nihil eſt de fide divina credendum quod non extat in ſacris Literis. Sed quòd* Roe *in particulari ſint remiſſa peccata, non*

non habetur in ſacris Literis. Ergo non poteſt Roe *credere fide divina ſibi eſſe remiſſa peccata.*

DOMINVS ROE.

Quid, an illa ſolùm ſunt credenda fide divina quæ expreſsè ponuntur in Scripturis? an non etiam illa quæ neceſſariâ conſequentiâ inferuntur?

DOMINVS DOCTOR.

Illa ſolùm fide divina creduntur ſecundùm religionem Proteſtantium quæ in Scripturis habentur; Quæ verò conſequentia aliqua inferuntur, vocantur concluſiones Theologicæ.

Quo modo credemus vobis in doctrina fidei divi- *Reſpon.*
næ quam de præſentia Spiritus ſancti, ex *Petri* Cathedra promittitis, qui tam luculentum de fide noſtra mendacium expromitis? Nos enim non ſolùm quicquid diſertis verbis in Scripturis ſacris habetur, verùm etiam et cætera quæ neceſſariâ conſequentiâ emanant, pro divinis oraculis amplectimur. Sed magna eſt conſequentiarum diverſitas. In triplici enim genere ſunt.

Prima quando ex univerſali ſuppoſito quoad ſenſum, infertur ſingulare: quod paris authoritatis eſt cum ipſa ſcripturâ expreſſa, ex quo fundamento infert Apoſtolus; *Qui dixit omnia, nihil reliquit illi non ſubiectum.* Et, *Non eſt differentia Iudæi & Græci, omnes enim peccaverunt.*

Secundus conſequentiæ modus eſt, cum ex ſenſus apparentis non autem neceſſarij propoſitione, verè vel falſé deducitur rationis linea. Ut cum dicitur, *Hoc eſt corpus meum*: Ergò panis fit corpus per tranſubſtan-

ſubſtantiationem : Quæ conſequentia non continetur ſub Scriptura. Quià ex ſenſu non neceſſario ſed tantùm veriſimili, & contraverſo ſit argumentum.

Tertia eſt conſequentia ſimilitudinis vel proportionis; quando ex figuris veteris Teſtamenti, quæ in nouo exponuntur, per deductionem æqualis ſimilitudinis rationem teximus.

Soli autem illi modo conſequentiarum quæ ex vi univerſalis propoſitionis inferuntur, Scripturæ authoritas arrogatur: Non autem ſecundo & tertio, quæ rectè appellari poſſunt concluſiones Theologicæ, ſi non ſint contra fidei canonem, non autem fidei fundamenta.

Videamus ergo utrùm fides remiſſorum peccatorum quam fideles verè pœnitentes in ſeipſis exercent, in Scripturis Canonicis ſtabiliatur, per illum primum modum quo ex generali ſententia particularis aſtruitur.

Et primò, quòd hic perfectionis ſcopus cuiq; fideli præfigatur, ut certò ſibi perſuadeat ſe eſſe in amore Dei, ſanctorum præcepta et exempla demonſtrant;

Rom. 15. 4. *Quæcunq; autem ſcripta ſunt, propter noſtram doctrinam ſcripta ſunt.*

Neq; enim ſtatus aliquis perfectionis in pijs deſcribitur ad quem conari nefas ſit, aut ſtultum expectare, ſed contrà ab Apoſtolo jubemur imitatores eorũ eſſe.

Sed ſancti plerophoriam hanc fidei, paſſim ex plenitudine Spiritus eructant; *Placebo Deo in regione viventium. Credidi, propterea loquutus ſum.* Ecce quia credidit ſe eſſe in gratia Dei, propterea loquutus eſt, & profeſſionem fecit hujus certitudinis. *Et nos*, inquit Apoſtolus, *credimus, & propterea loquimur*. Et nos cum

Ad

Apoſtolo credimus, et propterea palàm teſtamur, nos credere quòd ſimus in Dei gratia, & indulta ſint nobis peccata.

Ad hoc præceptis Sanctorum animamur: *Crede Deo & recuperabit te (ſc.) cadentem. Qui timetis Deum credite illi, & non evacuabitur merces veſtra.* Vide quomodo ulteriorem gradum fidei requirat in eis qui priùs crediderant: Nam qui timet Deum, neceſſe eſt ut priùs crediderit & Deum & Deo. *Et in omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ, quia hæc eſt obſervatio omnium mandatorum.*

Præterea ut oſtenderet Chriſtus opus Dei in fide ſalvifica, non ſolùm in generali certitudine potentiæ, & bonitatis divinæ conſiſtere; verùm etiam in particulari ſenſu & unione, dixit: *Creditis quia hoc facere poſſum? fiat vobis ſecundùm fidem veſtram*, Et *Fides tua te ſalvum fecit.* Et *Noli timere, ſed tantummodò crede.* Atqui non de generali fide intelligenda ſunt iſta, cum dixit, *Fiat tibi ſecundùm fidem tuam.* Quia licet credidiſſet Chriſtum potuiſſe ſibi opem ferre; non tamen continuò ſanandus erat; etiamſi ſecundùm fidem illi contigiſſet: niſi ad ſe virtutem Dei per fidem attraxiſſet. Et, *Omnia quæcunq; petieritis in oratione, credentes accipietis.* Ergò nemo accipit remiſſionem peccatorum, niſi aliquatenus credit remiſſa ſibi eſſe peccata: idq; non fide humana, ſed divina; quia non ab homine ſed à Deo ad hoc credendum erigimur. *Et omnis qui in eum credit non confundetur, &c.*

Sed unum eſt in quo acum figunt veſtri qui conſcientias nobis pungere, & à certitudine fidei ſeparare nitimini: Quòd non ſit de fide divina hos actus fidei, charitatis, doloris de peccato, & ſpiritualis gaudij, *Quomodo certi ſimus in particulari.*

quos Dominus *Roe* commemorat, eſſe illoſmet ipſos quos Deus requirat ad iuſtificationem. Intellige ergò quòd duo ſint modi quibus actus fidei efficaces ſint ad ſalutem, & ejuſmodi æſtimari poſſint de fide divina.

1. Si quis illum perfectum actum fidei & cæterarum virtutum exerceat, quem Deus qui veritatem in interioribus poſtulat, ex juſtitiæ ſuæ rigore exigit.

2. Si ſit ejuſmodi verus & ex animo actus quem conſcientia cujuſq; poſt examen ſufficienter caſtigatum non poteſt elevare vel convincere. Undè optimè dicitur apud *Eccleſiaſticum; In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ. Quia hæc eſt conſervatio mandatorum.* Et, *Si conſcientia noſtra nos non accuſat, pacem habemus apud Deum.*

Prior ſtatus actuum noſtrorum in neminem cadit in hac mortalitatis vita degentem. Namq; *Abrahæ*, qui fidelibus exemplum fidei præluxit, reputata fuit illa fides, primò pro perfecto actu fidei, deindè pro univerſali juſtitia. Non fuit ergò talis quem Deus in diſtricta ſua juſtitia poſtulaſſet, alioqui non eſſet reputata, ſed verus actus juſtitiæ fuiſſet. *Operanti enim merces non imputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum.* Sic dicitur, *Juſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes credentes.* Quia juſtitia Dei et totius Legis imputatur credenti in Chriſtum, & illa ipſa fides reputatur pro fide per Chriſtum.

Veniamus ad ſecundum actum fidei & hominis piè viventis, ut videamus an ex ſufficienti examine habito, ad actus approbationem indubitatam procedit.

Ego (inquit Dominus *Roe*) *ex fundamentis Eccleſiæ Anglicanæ,*

Anglicanæ, ex Baptiſmo in eadem ſuſcepto, ex promiſſionibus generalibus in Scriptura factis, & mihi per conſcientiam meam applicatis, ex dolore peccatorum, & vitæ emendationis propoſito, & quodam interiori animi mei ſtimulo & guſtu, intelligo generales illas promiſſiones mihi in particulari convenire.

Qui autem hæc omnia facit, quatenus conſcientiæ penſiculata diſquiſitio præſtare poſſit, nihil invenire poteſt in quo videatur fides ſua in Chriſtum claudicare. Ergò ſecundùm dictum *Eccleſiaſtici*, *Hæc eſt conſervatio mandatorum Dei*: et hoc de fide infallibili & divina credere debemus.

Si enim propterea fidem noſtram ſuſpectam haberemus quòd non eſſet vera & certa, quià exertis verbis non habetur in Scripturâ; quòd *Petrus* vel *Iohannes* verè credat, ſicut ad ſalutem neceſſarium eſt: tunc etiam de fide divina non eſſet, quòd *Petrus* homicidium, vel furtum, vel quodvis grave peccatum committat. Neq; enim viritim in Scriptura vitia cenſentur. Sed ſicut de fide divina ſunt notiones peccatorum noſtrorũ: & fide divina credimus nos violaſſe legem Dei, propter conſcientiæ accuſantis teſtimonium: ita ſimiliter verè & indubiè credimus *nos iuſtitiam Dei in Chriſto impleviſſe*, credendo more noſtro quià ab eadem conſcientia abſolvimur. Nam *Paulus* in indifferenti ponit opus *conſcientiæ excuſantis vel accuſantis in die Domini*. Et opus Legis divinæ appellat illud ipſum teſtimonium conſcientiæ tam accuſantis in judicio malefactorum, quam excuſantis in examine benefactorum. Si ergò opus Legis divinæ ſit illud, quod teſtatur malefacta contra Legem divinam, eſt etiam opus Legis divinæ quod teſtatur nos rectè

credidiſſe, ſecundùm verbum Dei, jubentis credere, & promittentis juſtitiam credenti.

DOMINVS DOCTOR.

Ecce omnia iſta ſigna & indicia, fallacia & incerta eſſe oſtendam. Neq; ex ipſis infallibilem deduci conſequentiam manifeſtè probabo. Nam primò quod ad Baptiſmum attinet, Omnes veſtræ Religionis Profeſſores aſſerunt multos aqua baptizari, qui non baptizantur ſpiritu.

Reſpon. Nos omnes Infantes apud nos baptizatos in eadem Spiritus ſancti unitate complectimur, & propterea ſuademus illis qui ſacris lavacri myſterijs interſunt, ut indubitanter credant, eum qui fonte regenerationis intingitur, filium Dei fieri. Sed in eo à vobis diſſentimus. Quià non reales habitus Fidei, Spei, & Charitatis, infantibus infundi cenſemus, cujuſmodi in fidelibus adultis reperiuntur. Abſonum eſt enim à ratione, habitum puero inhærentem conſtituere, qui poſteà ad annos pubertatis accedentem, nullo modo magis inclinet, quàm filios infidelium: (cùm ex minimis habitibus naturæ, vel uſus, homines ad proprias actiones propendeant.) Exiſtimamus tamen & habitus iſtos, & cætera omnià quæ ad intellectum et appetitum novi hominis renovandum requiruntur, per ſanctitatem Sacramenti, & fidem parentum, imputari infantibus, & ad ſanctificationem donari. Sic ergò ſalvantur pueri baptizati per myſterij ſanctitatem, ſi moriantur ante fidei habitum verè acquiſitum, ſicut rude Iudæorum vulgus qui Chriſti adventum præcedebant. Quibus obſcura fides Meſſiæ venturi, (quem qualis eſſet in veritate ignorabant)

et

& in pleriſque magis adhuc ignorantibus (ut pueris) ſola legalium ſacramentorum obſervatio, per gratiam Dei, imputabatur pro vita fidei Chriſtianæ. Quod tam diu divinæ miſericordiæ diſpenſatione tolerabatur, donec propoſita Chriſti ipſius nuda virtute, in fidem eius concedere detrectabant. Ita pueri cùm annos rationis attigerunt, ſi fidei Chriſtianæ in genere, & in particulari fidei remiſſionis gratuitæ peccatorum credere recuſent, excidunt à virtute quam in baptiſmi myſterio acceperunt. Eſt enim baptiſmus pignus fidei futuræ ex parte hominis, qui in fide parentum ſuſcepto baptiſmo, paſſivè obedientiam Deo promittit: & ex parte Dei, qui ſacramento & miniſtro mediantibus, rationabilem illum actum *pro fidei regeneratione* in Chriſto æſtimat & præſtat. Rectè ergo conditionem hanc ad peccatorum remiſſionem requirimus, & maiori cum fiducia in impietatis remiſſæ fide conſurgimus, cùm id à nobis credendo, piéque vivendo factum intelligimus, quod in baptiſmo promiſſum recordamur.

DOMINVS DOCTOR.

Ergo ſi probavero cætera indicia æquè incerta eſſe atque eſt baptiſmus: conſequenter probabo te non eſſe certum de remiſſione peccatorum tuorum. Nam fides Chriſtiana eſt certiſſima, & illi neque ſubeſſe poteſt falſitas vel incertitudo. Et inprimis dicas mihi quæſo, Nonne omnes Anabaptiſtæ, Lutherani, Puritani, Bruniſtæ, & cæteræ hæreticorum feces, qui in hoc errore conveniunt, eodem modo ſicut tu dices, ipſi docent ſe eſſe certos de remiſſione peccatorum? Nonne baptizantur, & has generales promiſſiones, & reliqua quæ tu:

tu recitaſti, ſibi applicant quæ tu applicaſti ? & tamen indubie tu fæberis illos toto cælo errare, nec peccata remiſſa habere.

Reſpon. Non eſt incertum benevolentiæ divinæ indicium, cùm fœdus baptiſmi à nobis vel integrè ſervatum, vel maturè reſtauratum ſentimus. Neque maiori lucro in reliquis incertitudinis indicijs operam tuam te poſuiſſe intelliges.

Lutheranis in quibuſdam quæ ſunt extra fundamentum fidei non aſſentimur : Puritanorum ſuperbiam in alijs eiuſdem modi accuſamus : ſed tamen peccatorum remiſſionem illis non præruptè auferimus. Quod cur indubiè nos facturos diceres, ſatis dubitare non poſſum. Anabaptiſtæ & Bruniſtæ perſuadent ſibi peccata propter Chriſtum eſſe remiſſa : ſed ſicut multum differt inter perſuaſionem hominis ebrij, non dubitantis de aliquo miraculo à ſe exhibendo, & ſobrij, qui ex plenitudine ſpiritus in eam ſpem erigeretur : Sic videtur perſuaſio illa Anabaptiſtarum, non ex verbo Dei, ſed ex Enthyſiaſmo quodam naſci, cui miſeri illi nimis quàm obnoxij ſunt. Propterea à nobis *ſecundùm hominis iudicium* condemnantur, & extra Dei Eccleſiam & ſalutis rationem velut leproſi conſtituuntur. Vtcunque Deus vel aliquos, vel plures eorum poſſit in ſpiritu ſalvare, quia non credunt verum quod vellent, ſed falſum quod nollent; & tamen aſſentiuntur Euangelio Chriſti in mente quòd verum ſit : ſicut eadem dives miſericordia novit liberare illos qui aſſentientes legi Dei in animo quòd bona ſit, tamen non faciunt bonum quod vellent, ſed malum quod nollent. Vel igitur integro fidei fundamento errores illos aggeſſerunt,

ſerunt, & per ignem cenſuræ Eccleſiaſticæ iam traducti, in examine iudicij divini aliquando ſalvabuntur : vel etiam principium vitale fidei amiſerunt, & illuſionem diabolicæ perſuaſionis in imitationem piorum fruſtra patiuntur. Sed quid fiat in multis hujuſmodi (vt loquitur *Auguſtinus*) Deo conſilium relinquamus, nobis obedientiam reſervemus.

DOMINVS DOCTOR.

Deinde aliud eſt quod à te valdè obſervandum eſſe velim, & multas errorum anſas amputabit, quod & iſtum tuum ſtimulum & guſtum ſeu applicationes ſeu potiùs phantaſias inanes & incertas eſſe demonſtrabit. Cogitationes veſtræ ex tribus procedere poſſunt principijs, Deo, Diabolo, lumine naturali, &c. Verùm hæ motiones Dei, Diaboli, & naturæ rationalis, ſunt tam ſimiles, ut nullus ſine peculiari revelatione ſciat certò à quo principio procedant, &c. Interim cùm hæc ignores dubitabis, & (ſi ſapis) timebis, &c.

Diſtinctio illa de tribus cogitationum principijs *Reſpon.* inſulsè ſe hîc immiſcuit & tumultuariè, ad evertendam fidei noſtræ certitudinem, cujuſmodi fluctus veſtrum illud mare numerò deſpumat. Numquid cogitationes de Chriſto credendo, de Deo ſuper omnia diligendo, &c. à natura proveniunt, aut à Diabolo ? Elige Pelagianus dici velis, an Manichæus, an vterque ? Scio quòd cogitationes mortalium ſint timidæ, & inde rectè mihi videtur ſequi, quòd cogitationes veſtræ adeò trepidæ de incertitudine fidei & remiſſionis peccatorum verè mortales ſint & animales. Nam cogitationes noſtræ in hoc genere plenæ ſunt ſpiritus & virium, & à cœleſti virtute oriundæ arguuntur.

arguuntur. Sed etiamſi cogitationes noſtræ incertæ eſſent, num incerta erit fides Chriſtiana, & ſtudium piæ vitæ, & obedientia quam Deo & Chriſto devovemus? Numquid incertum erit Spiritus ſancti teſtimonium, & pax conſcientiæ, quam mundus præſtare non poteſt? Numquid omnia ſimul concurrentia in unum certitudinis centrum incerta erunt? Tu priùs videris ne incerta ſit diſcurſus tui cogitatio. Nos enim certo certiùs inanem eſſe cognovimus.

Epilogus ad Colloquium ſecundum.

DOMINVS ROE.

QVæſtio quomodo Dominus Calvinus *intelligendus ſit in hoc verbo, Quòd Chriſtus Salvator ſit realiter in ſacramento (Hoc eſt:) Nimirum Chriſtus Salvator eſt realiter in ſacramento. Illic eſt non tanquam nudum ſignum, aut figura, aut typus; ſed virtualiter, effectualiter, ſubſtantialiter, modo miraculoſo ac divino, quem nullus mortalium per ſenſum iudicare aut percipere poterit. Sed ut anima eſt in corpore, in toto ac in qualibet parte, illud virtualiter vivificans, & ſine qua corpus non eſſet niſi truncus, ſic Chriſtus eſt in ſacramento per potentiam ac divinitatem vivificans illud ad animas noſtras, ſine quo non eſſent niſi nuda elementa; non ab illis contentus, ſed illa continens. Ita verò ut ſicut corpus recipit verum panem, & non nutritur typice, ſed realiter per illum: ſic anima per fidem recipit verum Chriſtum, & per illum realiter nutritur, &c.*

DOMINVS DOCTOR.

Ecce Romam explicationem Calvini, *ecce fidem euchariſtiæ,*

chariſtiæ, ecce fraudulentiam qua controverſiam propoſitam involvit. Intelligiſne (lector) quid iſte ſentit? Modò dicit Chriſtum eſſe in ſacramento ſubſtantialitèr, modò per fidem recipi.

Credas hominem ex equuleo loqui: vi rationis torquetur; videt elapſam ſibi ex manibus veritatis lucem, quam captivam tenere præſumpſerat, inde indignatur & fremit. Neque ſecus ac Iudæi (Chriſto è medio homicidarum evadente) admiratur & ringitur. Id tibi capitis dolorem incutit, quòd veram corporis præſentiam, neque tamen captivam; ſubſtantialem, non tranſubſtantialem; effectualem, non feculentam; influentem, non ſuperfluam ſtatuimus. Chriſti facies transfigurata inſtar ſolis reſplenduit: rectè ergo ex natura ſolis corporis divini operationem colligimus. Corpus Chriſti (lumine unitæ deitatis plenum) inſtar lucis in ſacramentum deſcendit: & tamen ipſum corpus in cœlo (ſolis inſtar) certo loco terminatur: lux autem ita per medium tranſparens diffunditur, vt tamen in aliquo loco concludi non poſſit. Medium nobis tranſparens, eſt ipſa natura elementorum, divina inſtitutione & fide elevata ab uſu craſſo, & ſenſu corporeo, in ſubtiliorem rationem; ut ſit vehiculum divini illius corporis & ſanguinis, quod ita ad animos noſtros & corpora ſuaviter appellit; vt & candorem gloriæ in debito fidelitatis divinæ nobis induat, & calorem ſpiritualis ſolatij anticipato ſenſu infundat. Hanc vos luminis libertatem tanquam inductis corporeæ neceſſitatis feneſtris ita concludere nitimini, vt etiam in canum muriumque corpora deſcendat. Sed ſicut non poteſt lux ſolis per ſe ſubſiſtere, ſed tantùm emanantèr à *Reſp.*

Sole, idque in corpore tranſpicuo : ita non poteſt corpus Chriſti in ſacramento per ſe ſubſiſtere, independentèr ab illo corpore glorioſo quod in cœlis triumphat. Neque etiam niſi in ſacramento fide quodammodo rarefacto in naturam ſpiritualem poteſt diffundi. Neque per opaca corpora lux, neque per ſenſum obtenebratum infidelitate corpus Chriſti penetrat.

DOMINVS DOCTOR.

Non, inquis, ſe patitur intelligi, an revera recipiat Chriſtum in ſacramento ? an illum exiſtentem in cœlo, apprehendat ſolùm in ſuo ſigno, ſicut quis vinum vendibile concipit viſa hedera, &c.

Reſpon. Certè de uvis Sodomæ, & ſuburbanis Gomorrhæ vinum hoc ſtillavit : cujus tu non ſigno, ſed ſucco intimè transfuſo, ſenſum ſobrium amiſiſti. Nos non *Tantali* inſtar fugientes aquas in ſigno captamus, nec viſa hedera vini deſiderio torquemur ; ſed credendo, ex illa ipſa petra ſignorum verum ſanguinis laticem haurimus. Fruſtrà enim à Chriſto inſtitutum fuiſſet ſacramentum, ſi cuiuſlibet ſigni intuitu poſſit fides ad eundem fructum corporis decerpendum ſubvolare. Revera Chriſti corpus in ſacramento percipimus ; neque illum in cœlis exiſtentem cogitatione ſigni tantùm amplectimur, ſed ſimul cum uſu ſacramentorum participes efficimur : ſicut non ſolo ſpiritus attractu, & labiorum ſuctu infantes lac maternum hauriunt, ſed uberis tuberculo in ore impoſito. Sacramenta panis & vini gemina ſunt Chriſti & Eccleſiæ ubera, quæ divini corporis lacte manant, neq; tamen lac ſunt : in nos transfundunt, non in illud tranſeunt.

tranſeunt. Sic autem in alijs qui nondum ad hæc percipienda idonei ſunt (ſi fortè moriantur) agit fides & deſiderium communicandi, ſicut in illis qui nondum baptizati ſunt, operatur fides & efflagitatio Baptiſmi.

DOMINVS DOCTOR.

Vide ambages, perpende anfractus, &c.

Rectiùs in ſacrificulum aliquem digitum intendiſſes, qui tot ambages corporis, & Euangelij; tot anfractus vocis, & murmuris, tot decuſſus aeris & digitorum parturit, ut pro Chriſti corpore reponat populo, non Chriſtum fraudulenter (ut tu loqueris) ſed Chriſtum fraudulentum, Deum panaceum, & idolum in loco ſanctitatis. Nos non angulos, ſed angulum quærimus, & lapidem angularem, qui facit utraque unum: ut verborum veritatem ſalvemus, elementorum naturam non evertamus; ut aſſeratur ſacramento dignitas, neque tamen aſcribatur elemento deitas; ut Chriſtum præſentem, non captivum teneamus. *Reſpon.*

Si Dominus *Roe* pro Chriſti corpore, Chriſtum valdè fraudulentèr ponit; vos pro Chriſti corpore panem magis fraudulentèr ſubſtituitis. Sed quæ fraus eſt pro parte totum reddere? cùm & id quod quærebatur, non aufertur; & id quod ſubintelligebatur, repræſentatur. Nonne Chriſtus *6. Iohannis* indifferenter dixit, *Ego ſum panis qui de cælo deſcendit, Et panis quem ego dabo caro mea eſt?* Nonne idem eſt aſſerere Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia per omnipotentiam Dei; & Chriſtum ipſum *(ſc.)* animâ & corpore eſſe in ſacramento per omnipotentiam & divinitatem?

vinitatem ? Neque enim id cogitabat Dominus *Roc*, quòd nullo alio modo Chriſtus ſit in ſacramento, quàm per omnipotentiam & divinitatem, ſed per illa verba modum efficiendi realem præſentiam, non exiſtendi expreſſit.

DOMINVS DOCTOR.

Quoniam verò plurimorum Calviniſtarum errores ex inſcitia Theologiæ oriri arbitror, & præcipuè in hoc ſublimi & ineffabili myſterio, idcirco operæ pretium eſſe putavi hîc aliqua ſubjicere quibus inſtruantur, &, ſi fieri poteſt, intelligentiæ ipſorum reformentur.

Reſpon. Vobiſcum nata eſt ſapientia, & unus vtriſque dies fato dictus eſt : propterea gratias debemus de hoc chriſmate ſpirituali quo nos impertiris; libenter enim in interiora velaminis hujus penetraremus, cujus fila ex verbis ineffabilibus texta ſunt.

Tribus ergo modis Chriſti corpus comedi poſſe contendis : primò, in ſigno, ut cùm gallina è ſaccaro confecta ſumitur ; ſecundò, in effectu, ut cùm ovum gallinæ comeditur ; tertiò, in veritate rei, cùm gallina ipſa devoratur. Et hinc, inquis, apparet manifeſtè quomodo intelligendus ſit Chriſtus Dominus quando tam perſpicuè & patenter dixit, *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Ergo ſic intelligendum eſt Chriſti corpus in Euchariſtia ſumi, ſicut cùm ipſa gallina, non ovum, aut ſignum manducatur. Hoccine illud ovum eſt ſubtilitatis Theologicæ, quod gallinæ veſtræ de Scholis Salamanticæ excludunt ? Certè non adeo ineffabile eſt hoc myſterium, quod gallina ovo emiſſo expreſſerit ; & ſicut ille olim inventa

venta auriſicis fraude, ita hæc glocitando exclamet Εὕρηκα. Sed neq; adeò abſolutè & abſq; explicatione verba illa manducandi carnem & bibendi ſanguinem ſuum prolulit, quod tu affirmas. Subjicit enim poſteà, *Verba quæ loquor ſpiritus ſunt & vita*, (i.) ſpiritualem ſenſum & verum habent, non carnalem qui nihil prodeſt.

Sed quandoquidem adeò liberaliter nobiſcum egiſti, ut homines Theologiæ inexpertos ad *Gallinam* invitares, ex qua grande & ineffabile myſterium eliceremus, ego tibi de fonte ſacræ Scripturæ viciſſim propinabo, cujus hauſtu carnalem illum Gallinæ ſaporem diluas, & de divinis myſterijs gratiora verba eructes.

Quandoquidem ergò, *Nemo aſcendit in Cœlum niſi qui de Cœlo deſcendit*, conandum nobis eſt, ut ſic cum Chriſto unum fiamus, ut illo in cœlum aſcendente, nos ſimul aſcendamus, imò aſcenderimus, ſicut dicitur, *Conſedere nos fecit in cæleſtibus cum Chriſto.* Ut autem hoc modo unum efficiamur, non ſufficit unitas amoris; quià ſic poſſet alter amantium eſſe in miſeria, cum alter gaudio fruatur. Sed ſi fiat unitas naturæ, tunc ubi Chriſtus eſt, ibi neceſſe eſt eſſe qui cum illo unum ſunt. Hoc ut verè fieret, inſtitutum eſt Sacramentum ſanguinis & corporis Chriſti; per quorum ſumptionem unum efficeremur cum ipſo, animo & corpore.

Triplex eſt autem in Sacramento ſigillum: primò, ſecreti, ut aliud videatur & dicatur, & aliud intelligatur. Secundò, ſigillum ſimilitudinis inter Sacramentum & rem Sacramenti quam exhibet. Tertiò, ſigillum confirmationis, ut ad uſum illorum ſymbo-

lorum Chriſto myſticè uniamur in virtute Dei, & debito fidelitatis divinæ, aliquando uniendi in ſenſu noſtro. Si ergò nihil ſumeretur à fidelibus præter panem et vinum, non eſſet ſacramentum in ſignis: & ſi panis & vinum mutarentur in corpus & ſanguinem Chriſti, ſecundùm literam, non eſſet ſacramentum in verbis; quià id ſolum eſſet quod vel cuivis audienti ſouarent verba, vel cuivis videnti apparerent elementa. Ergò ut ſervetur ratio ſacramenti debet eſſe ſigillum ſecreti, tàm in verbis quàm in ſignis. Latet ergò aliud ſub ſimplicibus verbis præter id quod ſonant, & ſub ſimplicibus elementis præter id quod videntur. Optimè enim divina Sapientia nudam apparentiam ſignorum, per verba, *Hoc eſt corpus meum, &c.* elevavit, ad ſpeciem myſterij exhibendam: optimè etiam nudam intelligentiam verborum, per viſibilem formam panis & vini, à tranſubſtantiationis ſenſu devocavit. Ut in auditu verborum, carnalis oculi ſtupor ad ſpiritualia erigeretur: & in guſtu elementorum carnalis animi tumor ad ſobrietatem corrigeretur. Mediam ergò viam ingreditur Eccleſia Anglicana, inter Papiſtas, qui auferunt myſterium à verbis; et Sacramentarios, qui deſtruunt ſacramentum in rebus. Cujuſmodi autem ſit myſterium, ex ſignificatione ſymbolorum intelligimus. Panis enim & vinum elementa ſunt apta exhilarando & nutriendo corpori. Lætificant autem corpus per convenientiam ſaporis ad guſtum perceptam: nutriunt verò per proportionem ſubſtantiæ ipſorum ad noſtram appoſitam. Ita Chriſti corpus et ſanguis, & ipſe Chriſtus in utroq; quoad corpus vivificum, aptus eſt infundere vitam æternam corpori noſtro, per unionem

onem et per animæ virtutem nobis conjunctam, aptus eſt inſpirare eandem vitam ſpiritus quam habet. Et multò delectabilior eſt convenientia totius Chriſti ad animam & corpus, ſi vivo ſenſu perciperetur; quàm panis & vini ad guſtum : et multò aptior proportio ſubſtantiæ noſtræ & Chriſti, quàm panis & corporis noſtri. Imò ſicut panis ſubſtantia convertitur in ſubſtantiam corporis noſtri : ſic corpus Chriſti (quatenus eſt ſingularis & individui) mutatur in corpus Eccleſiæ quatenus eſt univerſale : non dico in ſubſtantiam ſed in rationem communitatis, & dum rationem ſubſtantiæ ſuæ nobis communicat, rationem univerſalitatis ſumit à nobis in quos extenditur. De quo dicitur quòd derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori, & erunt una caro. Item Unum corpus ſumus multi qui de uno pane participavimus.

Cùm ergò hæc ſit ſimilitudinis manuductio, tertia vis ſacramenti eſt Confirmationis, ut hoc quod ſignificatur, in dignè accipiente efficiatur. Ut acceptio panis & vini ſit tam vera participatio corporis Chriſti, quàm qui realiter panem & vinum ſumit, ipſa elementa participat. Ad quod efficiendum concurrit corporalis actio oris, & ſpiritualis animi, per fidem credentis ſe ſumptione panis & vini fieri participem corporis & ſanguinis Chriſti, tàm realiter quàm ſi in forma ſenſibili accepiſſet. Si ergò quæratur de elementis viſibilibus quæ manibus & ore communicantium ſumuntur, quid ſint ? Reſpondemus, quòd in natura ſua (abſtrahendo à ſacramento) adhuc idem ſint quod fuerant : ſed in uſu ſacramenti & effectu gratiæ, non panis et vinum, ſed corpus & ſanguis

guis Chriſti ſint. Ex natura ſua ſigillum habent ſimilitudinis, ex dignatione gratiæ ſigillum ſecreti, ex perfectione virtutis ſigillum confirmationis; quo non minùs verè donatur nobis realis & ſubſtantialis communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm diplomate publico Regis, jus fundi alicujus confertur. Sed ita vi diplomatis abſenti traditur jus fundi, & etiam fructus, ut non niſi à præſente terræ uber tangi, & oculis uſurpari poſſit. Sic realiter, non typicè; ſubſtantialiter, non modo umbratili, communicamus glorioſo corpori Chriſti in ſacramento: ſed ipſum corpus vivificos actus exerens non tangitur à viatoribus, ſed à comprehenſoribus. Communicamus fructui, per manuductionem Spiritus, non guſtui per manducationem materiæ; viſui per fidem, non uſui per ſenſum. Et dum in fide Dei trahimus ad nos corpus Chriſti de cœlis; in ſigno corporis: in veritate Dei, abſtrahimur à ſigno corporis ad ipſum corpus in cœlis. Homini noſtro externo porriguntur ſolùm terrena elementa: homini interno ſub eiſdem exhibentur cœleſtia alimenta. Et dum hoc quod in nobis videtur, viſibilibus elementis veſcitur: id quod de nobis in Chriſto abſconditur, inviſibilibus delicijs fruitur: & illîc immortalitatis induit veſtimentum, dum hîc unitatis cum Chriſto ſuſcipit ſacramentum, fide mediante, animo meditante, ſed gratiâ dignationis divinæ medicante.

Nam cum verè non figuratè, ſimus membra Chriſti in cœlo regnantis, magis ſumus id quod ſumus in corporis ejus ſtructura, quàm in mortalitatis noſtræ natura, teſtante *Paulo*; *Vivo iam non ego, ſed vivit in me Chriſtus.* Et, *Conſedere nos fecit in cœleſtibus cum Chriſto,*

Chriſto, &c. Propterea quod à nobis ut nobis in imagine ſacramentalium actionum in terris exhibetur: id à nobis ut membris Chriſti in veritate illa ſupernaturali in cœlis præſtatur. Et ſicut ſponſi in verbis de præſenti contrahunt matrimonium de futuro; ita nos in verbis & actibus viſibilibus contrahimus unionem veram in præſenti, ſed vivificam in futuro. Nam quia non ambulamus per ſpeciem, ſed per fidem,& in ſpeculo videmus, non exemplo,propterea & omnes actus noſtri, ſive juſtitiæ moralis, ſive ſacramentalis, incedunt per fidem & ſpecularem imaginem, non per ipſam veram & genuinam ſpeciem rerum divinarum. Sed in hoc differunt, quia rerum imagines fiunt in ſpeculis,propter veritatem actuum præexiſtentium in rebus: ſed veritas actuum noſtrorum, & totius juſtitiæ, & communicationis corporis Chriſti, propterea impletur in ipſa veritatis computatione apud Deum, quia priùs fiunt in imagine veritatis apud hominem.

Si enim ipſum corpus vivificum Chriſti, illo modo quo ſomniant Papiſtæ, à nobis in os ſumeretur, & linguâ mulceretur, & faucibus deglutiretur, impoſſibile eſſet ut non immortalitatem infunderet, & flamma vivifica corruptionem naturæ depaſceret. Si enim Chriſtus virtutem ſuam ſuſpenderet, non ulterius cibus eſſet. Nam cùm qualitates tangibiles & guſtabiles à pane auferuntur, deſinit eſſe panis, & quodvis aliud nomen ſortitur. Si autem non habeat veram rationem cibi corporei,tunc neque illa Sacramenti in os ſumptio, erit manducatio, non magis quàm cùm aer in os accipitur, & lingua verſatur, & in fauces devolvitur : nemo enim ſobrius dixerit ſe

aërem manducaſſe. Ergo iocularis actio eſſet,& non vera manducatio, ſed figurata, neque vera corporis præſentia, ſed typica. Quia vera corporis præſentia in ſacramento, eſt corpus ſub ratione cibi, non corpus ſub ratione ſubſtantiæ inſenſibilis.

D. WRIGHT.

Vlterius prædicti is adyce in qualibet re creata reperiri quædam prædicata Metaphyſica, quæ ita copulantur, & coniunguntur, ut ubi unum illorum exiſtat, reliqua ibidem neceſſariò exiſtant. Exempli gratiâ, Petrus, *homo, vivens, mixtum corpus, ſubſtantia, ens, res, unum, verum. Impoſſibile enim eſt ut ſit* Petrus, *& non habeat ſibi coniuncta omnia prædicta prædicata, &c. Ex quo ſequitur quàm abſurdum ſit dicere Chriſtum eſſe in euchariſtia realiter, & tamen negare poſtea eſſe corporaliter, ſubſtantialiter, mixtè, viventer, ſenſibiliter, &c.*

Reſpon. Vtinam ſcala hæc prædicatorum Metaphyſicorum tanquam illa *Iacobi* vel ad intelligentiam ſpiritualem ſacramenti te ſurſum traducat, vel ad ſobrietatem rationis deorſum deducat. Vbicunque enim eſt corpus Chriſti, ibi eſt natura ſenſibilis, tangibilis, viſibilis, guſtabilis, menſurabilis. Agnoſcis graduum ſubalternum ſitum ? Deſcende porrò. Ex quo ſequitur quàm abſurdum ſit dicere Chriſtum eſſe in Euchariſtia realiter & corporaliter, & tamen negare poſtea eſſe tangibiliter, viſibiliter, guſtabiliter, menſurabiliter, cùm hæc omnia ſint inſeparabiliter connexa. Quid nunc ? præcipitium times ? Aut ergo malus architectus fuit qui ſcalam illam rationis concinnavit, aut tu præter rationem meticuloſus, qui horres deſcendere.

D. WRIGHT.

D. WRIGHT.

Aliud etiam ſequitur ex doctrina veſtra abſurdum: Vos nimirum poſſe in veſtra cœna manducare Chriſti corpus realiter & ſubſtantialiter, & tamen Chriſti corpus nunquam ad vos propius accedere quam cælum ad terram, Polum Arcticum ad Antarcticum. Quod eſt perinde ac ſi diceres, poſſe te realiter veſci capone, te exiſtente Spaæ, & capone in Hiſpanijs : qua cœna imaginaria & Chymerica veſcuntur Calviniſtæ. Qualibus cœnis ſolent Sagæ ſuos illudere, quos ventis & umbris paſcunt.

Appoſitè argumentum hoc in os Apoſtoli impegiſſent fratres veſtri Iudæi, cùm diceret Patres eorum baptizatos fuiſſe ad *Moſen* in nube & mari : & omnes ediſſe eandem ſpiritualem eſcam, & bibiſſe eundem ſpiritualem potum ; bibiſſe enim de petra conſequenti, petra autem erat Chriſtus. Si tibi impoſſibile videtur fieri hominem convivam cibi illius cœleſtis, qui tantùm ſpacio loci dirimitur : quomodo non magis incredibile eſſet, potuiſſe Iudæos mille quingentis ferè annis priuſquam natus eſſet Chriſtus, corporis & ſanguinis ejus guſtum capere ? Eò enim rationis ſuæ vim dirigit *Paulus*, ne de impunitatis ſpe præſumamus, propter baptiſmum & ſacramentum corporis, quia Iudæi qui fructuum utriuſque ſacramenti non minùs quàm nos participes facti ſunt, tamen propter contumaciam cordis a Deo abjecti ſint. Sed quia nihil pateris in religionis myſterio, quod rationis harmoniam confundat, & proinde aures ad hæc claudendo abſurdus factus es ; attende quæſo numquid non eaſdem chordas inconcinnè pulſet doctrina veſtra ? quæ omnem ſenſus, loci, & quanti- *Reſpon.*

tatis ratiōnem à Christi corpore destringat. Quid distantiam loci in illo corpore communicando causaris? à quo vos situm localem abstulistis. Quia etiam vobis tam procul est corpus Christi quoad naturalem loci coextensionem, à vestra cœna, quàm distat cœlum & terra. Tantúmque distat corpus ejus gustabile, tangibile, visibile, à vestris oribus, quàm polus Antarcticus ab Arctico. Verè enim Arcticus, id est, ursinus est ille vertex cœli sub quo vos Anthropophagi degitis, qui instar ursorum humani corporis carnalem manducationem cogitatis.

D. Wright.

Quod perinde est, inquis, ac si dicas posse te realiter vesci capone, te existente Spaæ, & capone in Hispanijs.

Respon. Ut video, nihil inter omnia edulia caponum & gallinarum gustu gratiùs tibi potest accidere, qui jam exemplo geminato os saliva tibi natasse significas, dum de cibo sacramenti loqueris. Sed præ cæteris, gallinas & capones Hispanicos in delicijs tibi esse video, ut jam non indigner quòd Nobilis quidam nostras captis Gadibus Hispanos captivos totidem gallinis & caponibus mutaverit; si tantum saporis irritamentum habeant, ut sacerdotem Hispanum de rebus altissimis loquentem nidore suo ad se revocent. Neque multum à vero videtur abhorrere, quod à quibusdam proditum est: quòd propter gulæ ambitionem, & publicos de rebus esculentis sermones nimis sapidè à te habitos, à Iesuitis in alium aerem missus sis. Metuebant enim ex ructu tuo homines nasuti, ne cortem altilium suorum delibasses. Sed verum est quod in proverbio dicitur, παχεῖα νηδὺς λεπτὸν οὐ

τίκτει

τίκτει νοῦν : (i.) Craſſus venter non gignit tenuem ſenſum. Si enim ſubtiliori ingenio prædituſ fuiſſes, non cœnas ſagarum chimericas & imaginarias nobis injeciſſes, quas in altaria veſtra ſine negotio remitti poſſe intelligebas. Corpus enim ſine tactu, quantitatem ſine loco, cibum ſine guſtu ſtatuere, eſt ventis & umbris homines paſcere.

D. Wright.

Cur quæſo Chriſtus toties repetit & ingeminat carnem & ſanguinem, corpus & ſanguinem, niſi ex his ſuæ perſonæ & divinitati unitis ſacramentum conflare, & in noſtram ſalutem inſtituere decreverat ? De potentia, de divinitate non verbum dicit; de carne, corpore, & ſanguine, omnia ferè dicit.

Et numquid negamus ex corpore & ſanguine divinitati unitis ſacramentum interius conſtare ? quæ non ſolùm ſub figura viſibili repræſentantur, verùm etiam efficaciter adminiſtrantur, actualiter exhibentur, & verè & realiter ſumuntur à dignè communicantibus ſignis externis : quàm verè conſedêre nos fecit Deus in cœleſtibus cum Chriſto, quàm verè in ipſo ſumus impleti qui eſt Caput omnis principatus ; quàm verè in ipſo circumciſi ſumus, & conſepulti in baptiſmo, & reſurreximus per fidem operationis divinæ. *Reſpon.*

Sed de potentia & divinitate (inquis) non verbum dicit. Certè animalis homo non concipit quæ ſunt Dei, neque carnalis ſpiritum palpat. Quid enim aliud ſonant illa ; *Verba mea ſpiritus ſunt & vita, caro nihil prodeſt ?* Et quænam ſunt hæc verba, nonne illa, *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis*

ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Hæc verba ſpiritus ſunt & vita,* (i.) ſpiritualiter intelligenda: *caro nihil prodeſt,* (i.) ipſe carnalis ſenſus illarum ſententiarum ad nihil utilis eſt. Hunc tu ſpiritum, homo carnalis gallinis & caponibus ſaginatus, propter ſenſus craſſitudinem non capis.

D. Wright.

Chriſtus cùm miracula ederet, manibus tetigit infirmos, dicebat ſe ſenſiſſe virtutem ex ſe exijſſe, ut carnem ſuam vivificatricem oſtenderet.

Reſpon. Chriſtus quidem cùm mulier fluxu ſanguinis laborans veſtimenta ejus viva fide attigiſſet, teſtatus eſt ſe alicujus contactum paſſum eſſe, ex virtutis emanatione quam ſenſerat. Oſtende tu ſimilem in quotidianis veſtris Miſſis demonſtrationem virtutis, & aliquid dixiſſe videberis. Sed aptiſſimè ſacramenti noſtri uſum adumbravit hoc Chriſti miraculum, qui non ipſum corpus ore carnali attingimus, vel attingere geſtimus, ſed tantùm fimbrias Chriſti, (i.) ſymbola ſacramentalia quibus figuratur & velatur divina Domini caro, fide viva apprehendimus, & egreditur ad nos virtus corporis vivifica de cœlis. Et ita guſtando ſymbola corporis quod localiter ab ipſis ſeparatur, participes efficimur ipſius corporis: ſicut mulier hæmorrhouſa attingendo fimbrias corporis ab ipſis diſcreti, virtutem corporis per ipſas delibavit.

D. Wright.

Quid quæſo recipit os tuum? nihil niſi nuda & egena elementa.

Abſit:

Abſit : non magis egena & nuda ſunt elementa, quàm erant illa Chriſti Salvatoris veſtimenta, quæ opis medicæ egenam ſanitate ditarunt, & novo corporis habitu credentem veſtierunt. Et tamen non dixeris veſtimenta Chriſti in corpus ejus fuiſſe converſa ; licet ad illorum attactum Chriſtus ſeipſum ab aliquo palpatum dicat. Non potuit dari elegantius exemplum in quo appareret, quomodo ſymbolorum natura ita Chriſto conjungatur, ut corporis ejus nomen acciperet,& virtutem credenti transfunderet, & tamen nullam corporis tranſmutationem pateretur. *Respon.*

Quoad veritatem naturæ, tetigit mulier veſtimenta, non Chriſtum ; tangimus nos elementa, non corpus Chriſti : quoad fidem, intendebat illa apprehendere non nudam fimbriam veſtimenti, ſed virtutis mirificæ inſtrumentum ; & nos non nuda & egena elementa, ſed ſymbola divini corporis & ſanguinis communicativa & canales gratiæ. Quoad effectum virtutis, non veſtimentum Chriſti, ſed Chriſtum tetigit ; & nos non panem & vinum, ſed corpus & ſanguinem Chriſti in os ſumimus. Nec ſola fide virtutem vivificam attraxit mulier, abſque veſtimentorum contactu ; nec ſola fide participes efficimur corporis Dominici, abſque ſacramentorum uſu vel voto.

D. Wright.

Si canis comedat, Chriſtum comediſſe negant, & plurimi indignum dicunt eſſe Chriſtum dentibus teri.

Sanctum canibus dari vetuit Sanctus Dei ; & credibile eſt quòd ipſe contra præceptum ſuum hoc ſanctum ſanctorum canibus objici patiatur ? Non abludunt *Respon.*

abludunt à natura canum, (i.) hominum profanorum, qui hoc ſentiunt; & propterea neque illis ſanctitatem ſacramenti dari credibile eſt, qui eam impuris canibus prodi poſſe exiſtimant. Nos indignum ducimus Chriſtum dentibus teri : hoc te miraculo afficit ? qui Chriſtum inſtar caponis manducare ſoles. Quòd verbum Dei inſtar gladij ancipitis etiam ſpiritualia dividat, ex *Paulo* didicimus. Quòd autem Verbum factum caro dentibus dividendum ſit, non legimus.

Tertij Colloquij Epilogus.

Quærebatur quomodo accidentia in Sacramento ſine ſubjecto exiſtant.

D. Wright.

VT vobis morem geram, & vel ipſiſmet etiam curioſis ſatisfaciam, tres modos vobis proponam (ſi poteritis intelligere) quomodo accidentia conſiſtant, & ſine ſuo naturali ſubiecto conſerventur.

Reſpon. Hoc eſt quod *Thraſo* ille Aſſyrius *Ezechiæ* jactavit, *Dabo tibi duo millia equorum ſi poteris aſcenſores imponere.* Hujuſmodi gloriarum bullas ſufflant ſcholæ veſtræ de nucum ſuarum putaminibus, quæ nec pondus utilitatis, neque firmitatem veritatis, neque ſpeciem habent intelligentiæ.

D. Wright.

Primus modus eſt iſte : Quicquid cauſæ ſecundæ ſua vi & efficacia operantur, prima cauſa cùm omnem in ſe cauſandi rationem eminenter contineat, ſine cauſa ſecunda

ſecunda ſeipſo præſtare poterit. Cùm ergò cauſalitas ſubiecti reſpectu conſervationis accidentium ſit quædam perfectio, conſequenter omni ſemota imperfectione in Deo continetur: idcircò quicquid ſubiectum reſpectu conſervationis accidentium præſtat, ſeipſo præſtare poterit.

Venimus jam ad anguſtias ulteriores in quibus ſacerdotes pontificij non ſecus acq; olim *Balaam* propheta conſtringuntur; ut quemadmodum rude illud & rudibundum animal Prophetæ pedem maceriæ afflixit, & ſimul voce ſua hominis amentiam increpuit: ita ipſa rerum ſenſibilium natura, quæ omnium virtutum cognitivarum ſtupidiſſima eſt, allidit *Balaamitas* iſtos innumeris rationum inconcinnitatibus, & *intelligibili* conſequentiarum clamore quiritatur injuriam ſibi inſignitam fieri. Nonne enim conſecratione peracta, candidum quiddam & dulce & læve à communicantibus ſentitur? Et tu hoc ſine ſubjecto ſubſiſtenti fieri dixeris per potentiam divinam? Atqui nec ratio humana admittere, nec divina præſtare poteſt, ut ſit candidum, & non aliquid candore imbutum; dulce, & non habens dulcedinem; læve & tenue, & non habens lævorem & tenuitatem. Eſſet enim terminorum implicatio inexplicabilis. *Reſpon.*

Quòd ſi oculis noſtris præſtigias coneris offundere, & nihil candidum, vel læve, vel dulce, vel molle ſenſibus uſurpari contendas, ſed candorem, & lævorem, & dulcedinem, & molliciem: iterùm, nulla ratione concipi poteſt, quomodò poſſit individuum accidens exiſtere abſq; ſubjecto, cum ab illo habeat ut ſit individuum. Quòd verò Deum è machina in Scænam veſtram mimicam deducitis, ut nodus hic qui fauces

vobis angit, recidatur, cum diſſolvi non poſſit: fruſtra ſudatis. Licet enim poſſit Deus quemvis actum qui à pluribus alijs medijs in anteceſſum dependet, immediatè præſtare in materia ſuppoſita, ut cum *Adamum* immediatè creavit; tamen non poteſt effectum rei eſſentialem & immanentem abſq; ſubjecto producere vel conſervare. Exempli gratia, non poteſt Deus facere ut ſit numerus binarius, & tamen ex duabus unitatibus non conſiſtat; ut ſit corpus compoſitum, & non ſint partes componentes; ut ſit harmonia vocalis, et non ſit proportio ſonorū ex quibus procedat; ut ſit videns, & audiens, & guſtans, & ſentiens, & tamen non ſubſiſtat vis ſenſitiva. Effectus enim eſſentiales & proprij cuivis naturæ, relationem habent ad ſubjecta ſua individua, neq; ſine illis poſſunt ullo modo ſubſiſtere. Licet enim actus primi poſſint à ſecundis ſuſpendi per potentiam Dei, ut non exerceant actum ſuum: tamen actus ſecundi nequeunt à primis independenter exiſtere, ſicut poſſunt cohiberi fontes ut non fluant: non poteſt autem aqua jugiter fluere niſi fontem habeat, Fons enim originem aquæ indeficientis ſignificat. Cùm ergò in pane & vino ſit aliquis actus ſecundus eſſentialis ipſis ſubjectis quatenus ſunt talia, impoſſibile eſt per potentiam divinam ſubſiſtere omnia panis & vini accidentia abſq; ſubjectis ſuis. Undè non ſolùm Philoſophi, ſed & Theologi negant poſſe Deum ſupplere vicem cauſæ materialis & formalis, ſed tantùm efficientis finalis & exemplaris. Prætereà, certum eſt continuum vaporum corporeorum effluxum è pane & vino poſt conſecrationem fieri, qui non poteſt niſi ex aliquo fonte materiali emanare.

D. Wright.

Dr. WRIGHT.

Secundus modus eſt aliorum dicentium accidens, ſi ſemel à ſubiecto ſeparetur, nullo indigere ſuſtentatore, ſed cum propria efficiatur exiſtentia ſeipſomet poſſe conſiſtere.

Non ſine riſu legi immodeſtum modum ſubtilitatis hujus. Accidens, inquiunt, ſi ſemel à ſubjecto ſeparetur, nullo indiget ſuſtentatore, ſed ſeipſo poteſt conſiſtere. Credo te intelligere non de accidente naturaliter ſeparato, quod ſemper interit, ſed tantùm de accidente quod ita ſeparatur à ſubjecto, ut maneat ſeparatum. Quod idem eſt ac ſi diceres; Accidens ſi poſſet ita ſeparari à ſubjecto ut exiſteret per ſe ſeparatum, tunc exiſteret per ſe ſeparatum. O cor *Zenodoti! ô iecur Cratetis!* Hujuſmodi ſunt ſubtilitatum auræ in quas ingenia Scholarum veſtrarum ſæpiùs evaneſcunt, undè generantur nubes illæ inaquoſæ, quibus caligo tenebrarum deſtinatur. Sed præterea, nonne ex ipſa confeſſione tua ſequitur, non poſſe hoc per potentiam divinam fieri? Concedis enim accidentis eſſe naturale eſſe ipſum ineſſe. Ergò accidentia poſt conſecrationem abſtracta à ſubjectis, vel non ſunt eadem naturalia accidentia quæ fuerant, & tunc fit tranſaccidentatio; vel pariter ſunt & non ſunt, quod eſt contradicto, quia habent Eſſe diverſi generis, idq; ſupernaturale. Si enim prius, ipſum eſſe naturale erat ineſſe ſubjecto, nunc non eſt ineſſe ſubjecto, ſed ſuffulciri immediatè à Deo, vel ſubſiſtere in ſe, vel in novo ſubjecto. Eſſe autem diverſi generis diverſificat ſpeciem: non ſunt ergò eadem accidentia vel numero vel ſpecie priùs & poſteriùs. Neceſſe eſt ergò concedere non ſolùm tranſubſtantiationem

Reſpon.

ſed etiam tranſaccidentationem, ſi diverſi generis ſtatuantur, vel contradictio erit ſi eadem aſſeverentur.

Quòd verò Deus ſubſtantiam naturæ humanæ aſſumendo ſubſiſtentiam naturalem anteverterit, rem veſtram nihil pomovet. Aliud enim eſt nullam omninò ſubſtituere hypoſtaſim, aliud verò diverſam ſupponere. Neq; enim poterat Deus effeciſſe ut Chriſtus homo abſq; ulla ſubſiſtentia naſceretur. Quàm miſera ergò eſt & pudenda hæc opinio, quæ tam aſperam habet ad veritatem inconcinnitatem, ut nec in humana ratione modum veri ſimilitudinis, nec in naturæ generatione exemplum ſimilitudinis reperiat?

D. WRIGHT.

Tertius modus eſt ſeparando accidens à ſubiecto ſuo, & communicando illi quendam modum perſimilem ſubſiſtentiæ ſubſtantiæ. Nam quemadmodum videmus Chriſti Domini humanitatem ſua privari ſubſiſtentia propria, & exiſtere verbo; ita nullam involvit contradictionem, accidens ſeparari à ſuo ſubiecto, & recipere à Deo modum eſſendi in ſe, ſeu ſubſiſtentiam communicatam.

Reſpon. Ergò Deus aſſumit quodammodo accidentia panis in ſubſiſtentiam ſuam, ſicut aſſumpſit naturam humanam. Quæ eſt hæc blaſphemia? Certè naturalis verborum tuorum conſtructio & ſignificatio hoc ſuadet, & exemplum appoſitum nihil aliud illuſtrat; ut ſicut natura humana in Chriſto deſtituta propria hypoſtaſi, in hypoſtaſi verbi ſubſiſtit: ita accidentia panis amiſſa propria ſubſiſtentia in quadam Dei ſubſiſtentia communicata ſubſidant. Quid enim aliud per hæc verba innueres, concipere non poſſum. Nam cùm tertium modum à ſecundo diſtinxeris,

ſecundus

ſecundus autem modus ſit ut accidentia per ſe ſubſiſtant. Ergo tertius requirit ut non per ſe, ſed per ſubſiſtentiam alterius rei communicatam ſubſiſtat. Cùm autem nullam rem aliam præter Deum nominaveris, certè ſubſiſtentiæ divinæ communicationem intelexiſti. Neque enim poteſt aliquid præter Deum communicare hypoſtaſim ſuam alteri naturæ. Novum ergo divinitatis deſcenſum excogitaſti, & novam perſonæ divinæ communicationem; ut ſicut in redemptione generis humani à peccati neceſſitatibus, carnem aſſumpſit; ita in redemptionem Papiſtarum ab erroris ſacramentarij abſurditatibus, accidentia panis aſſumat. Macti eſte cum Ieſu veſtro ſacramentali, qui non è ſubſtantia Virginis, ſed è ſubſtantia panis factus eſt Chriſtus; & cum Deo veſtro accidentali, qui accidentia panis in hypoſtaſim ſuam aſſumpſit.

D. WRIGHT.

Porrò, ut probes voluiſſe Chriſtum corpus ſuum verè & realiter ponere ſub ſpeciebus panis & vini in ſacramento, hanc ſubijcis rationem; Quia non potuit brevioribus & clarioribus verbis ſuam intentionem explicare, quam dicendo, Accipite & manducate, Hoc eſt corpus meum. *Et* Hic calix eſt novum Teſtamentum in ſanguine meo. *Nam inter omnes propoſitiones, iſtæ quæ ſunt de verbo Subſtantivo* Eſt *ſunt ſimpliciſſimæ & clariſſimæ, & reliquæ in illas reſolvuntur.*

Imò multò clariùs ſecundùm obſcuritatem erroris veſtri dixiſſet, ſi corpus ſuum per tranſubſtantiationem fieri dixiſſet; vel illud quod ſub ſpeciebus panis & vini continetur, eſſe carnem & ſanguinem ſuum affirmaſſet. Neque poterat cauſam veſtram adactiùs *Reſpon.*

jugulare, quàm cùm verba ſua ſpiritum eſſe diceret, non carnem, (i.) ſpiritualiter, non craſsè & ad literam accipienda, quo ſenſu nihil eſſent profutura. Cuidam verò ſubjicienti quòd Chriſtus ſeipſum oſtium, viam, & vitem appellaſſet, ſubintuliſti.

D. WRIGHT.

Hoc eſt obſoletum & millies decantatum argumentum ſacramentariorum contra Catholicos: cui ut reſpondeam, & vobis ſatisfaciam, dabo vobis manifeſtam regulam Logicam; Diſparati de diſparato nulla eſt prædicatio: Chriſtus verò non dixit, Panis eſt corpus meum, ſed Hoc eſt corpus meum; *ideo quando dixit,* Ego ſum oſtium, *cùm affirmaret diſparatum de diſparato, non propria, ſed metaphorica fuit loquutio.*

Reſpon. Mira vis canonum veſtrorum, qui omnem veritatis controverſiam & dubitationem detergunt. Et videris mihi dum nimis attentè ad regulam hanc oculum lævum dirigis, à dextro oculo cocles factus eſſe, & non obſervaſſe aliam regulam Logicorum, quòd petitio principij inter fallaciarum genera reponenda ſit. Nam pro conceſſo aſſumis, quòd in illis verbis, *Hoc eſt corpus meum,* non ſit diſparati de diſparato prædicatio, cùm *S. Paulus* hanc propoſitionem enunciaverit, *Panis quem frangimus eſt communicatio corporis Chriſti.* Sed intelligere poteras, non ex ſcholarum veſtrarum tenebris, ſed ex luce Scripturæ, quòd quatuor ſint in ſacris literis propoſitionum genera: Prima merè phyſica. Secunda merè ſymbolica, ut *Deus eſt ignis urens.* Tertia phyſica pariter & ſymbolica, ut illud de *Abrahami* uxoribus & filijs. Quarta ſymbolica & rationalis ſive ſacramentalis, ut, *Petra erat Chriſtus.* Et *Patres noſtri baptizati ſunt ſub nube*

&

& in mari ad Moſen : *& Biberunt eundem ſpiritualem potum, & comederunt eandem ſpiritualem eſcam :* quia participatio illa ſignorum ſub *Moſe* non ſolùm figura fuit participij quod habemus in Chriſto, ſed etiam verè id præſtabat in imputatione Dei, quod exhibebat in ſimilitudine ſignorum. Itaque in verbis ſacramenti non literalis modus loquendi, ſed ſymbolica & rationalis ; neque naturalis forma intelligendi, ſed ſpiritualis reſpicienda eſt. Cùm enim è ſignis pariter & verbis conſtet ſacramentum, neceſſe eſt aliquid arcani in utroque ſubeſſe ; alioqui myſterium non eſſet, ſi vel ad literam ſolam intelligeretur dictio, vel ad ſenſum ſolum æſtimaretur actio.

D. Wright.

Qui manducaverit hunc panem, vel hunc calicem indignè biberit, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quo enim modo potuerit eſſe reus corporis & ſanguinis quod non comederit ? & quomodo non dijudicaret corpus Domini, qui non haberet præſens corpus Domini dijudicandum ?

Imo aliud longè diverſum ab his verbis egreditur. *Reſpon.* Quia dicit Apoſtolus, *Probet ſeipſum homo, & ſic edat & bibat,* (i.) Per diſcurſum rationis ſpiritualis diſquirat quomodo ſit corpus Chriſti quod datur in ſacramento, & quomodo poſſit particeps illius fieri. Qui enim exiſtimat ſe corpus Chriſti manducare quomodocunque accedat, indignè manducat, quia eo modo ſe comedere putat, quo à canibus & porcis comedi poſſit. Non enim dijudicat & diſcernit corpus Domini à pane & figura corporis. Et certè indignus eſt cibo cœleſti, quiſquis exiſtimat eum ab indignis poſſe accipi.

Collo-

Colloquium quartum.

De immunitate ſummi Pontificis ab errore in rebus fidei.

REctiùs impunitatem erroris quàm immunitatem dixiſſes, niſi ipſe ejuſdem erroris communitatem traxiſſes. Per prudentiam humanam extructi ſunt hi Babylonis muri, ut in Eccleſiæ Romanæ fide tanquam certis limitibus totus orbis conſtringeretur, & in media Babylone emineret turris cujus vertex cœlum attingeret, vel potiùs pulſaret. Hoc eſt illud ſacrum Pontificis caput, quod cœlos ipſos penetrare eadem fide Romani tenent, quâ olim *Romulum* in cœlos euntem ſe vidiſſe *Proculus* juravit. Inde cùm cœleſtis auræ ſpiraculo donatus ſit, nihil niſi de plenitudine veritatis eructat. Hæc eſt illa de patre veſtro ſerpente prudentia, ne per opiniones diſcrepantes in omnem terram dividamini, longam erroris lineam tanquam anguis tractum uno ſed verſatili ductu continuare. Nam poſtquam ſuperſtitio popularis omnem phariſaicæ diſciplinæ formam,& religioſi cultus ſuperſtitionem excogitavit: & Tyranni rectores Eccleſiæ hoc in rem ſuam videbant tendere, ut populus ſuperſtitioſa devotione ſe Clero manciparet : in legem poſteà abijt, ne unquam de ſpirituali hac fornicatione pœniterent, ſed quam viam erroris ingreſſi erant perpetuò premerent. Hoc eſt illud infallibilitatis myſterium quod de Cathedra meretricis Pontifices murmurant, qui abhominationibus ſuis depuduerunt. In omnibus enim opinionibus illis

quas

quas præter verbum Dei excogitarunt, tuentur ſe antiquorum exemplis, tanquam de jure jam fieri debeat quod toties præter jus factum eſt. Quæſivit Dominus *Roe* quare tantum tribuant Papiſtæ ſummo Pontifici, ut ipſe cum erroris immunitate definiat quid ſit credendum, cæteri autem omnes illo ſpiritu deſtituantur. Reſpondet

D. Wright.

Quando tu invenies particularibus dictum quod dixit Dominus Petro, Tu es Petrus,& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam, *tunc ego dicam particulares immunes eſſe ab erroribus,at q. ſummos Pontifices.*

Et cùm tu oſtenderis quicquid *Petro* dictum eſt,id *Reſpon.* in longam Pontificum veſtrorum ſeriem traducendum, non inviti dabimus & ſatanæ (i.) Antichriſti nomen hæreditario jure ad vos manare, qui multò minùs res Dei ſapitis quàm tunc *Petrus*, quia nihil ſapitis; & multò magis res hominum ſapitis, qui eliquatum totius humanæ gloriæ & vanitatis ſuccum ad ebrietatem hauritis. Credo non adeò obduruiſſe vobis os, ut clariorem infallibilitatis hæreditatem à *Petro*, quàm electionis Iudæi ab *Abrahamo* vendicetis. Et tamen non qui de pulpa carnis,ſed qui de exemplo fidei *Abrahamum* attingunt, promiſſionis jus ſuſceperunt:ne exiſtimetis plus meruiſſe *Petrum* confitendo carnali genti Pontificum, quàm *Abrahamum* credendo gentili carni Iudæorum.

D. Wright.

Si ego non oſtendam verba hæc, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam,*dicta eſſe* Petro *in particulari, ſubſcribam tibi. Ecce omnia verba ſoli* Petro *ordinata*; Beatus es *Simon Bar-*

Iona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis. *Ecce ſpecialiter* Petro *nominatim attribuitur revelatio.* Ego dico tibi, *non dico vobis.* Quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram. *Ecce nomen* Petri, *non reliquorum Apoſtolorum.* Hanc, *demonſtrat* Petrum *in particulari.* *Et*, Tibi dabo claves, *non dicit vobis.* *Et*, Quodcunque ligaveris & ſolveris, *non ligaveritis & ſolveritis.* *Qua ratione quæſo potuit Chriſtus aliquod privilegium alicui dare in particulari, magis quam hoc Divo* Petro, *cùm nec unum verbum Apoſtolis dixerit in generali, ſed ſoli* Petro *in particulari.*

Reſpon. Si theologiæ ſaporem ex ſacræ Scripturæ roſis, non Scholarum urticis hauſiſſes, illum tibi ſapientiæ ructum memoria feciſſet : Quòd quæcunque in ſacris literis particulariter proferuntur, ſecundùm rationem dicti univerſaliter ſe extendunt. Sic ſanctus *Paulus* hiſtoriam judiciorum divinorum contigiſſe ait Iudæis in figura, ſcriptam autem ait propter nos in quos fines ſæculorum inciderunt, ne ſimilibus nos vitijs inquinantes ſimilis cenſuræ notis inſcribamur. Expendamus ergo cauſam honoris & prærogativæ hujus quæ *Petro* conceditur : quam duplicem reperiemus. Primò, quòd non per operationem carnis & ſanguinis in myſterij hujus agnitionem deductus ſit. Secundò, quòd ſolius Doctoris cœleſtis dictata hauriens, eadem fide inconcuſſa ſuſceperit. Quid eſt carnis & ſanguinis revelatio ? niſi manifeſtatio rerum per quamlibet rationis humanæ virtutem acquiſita, abſque ſupernaturali verbi divini dictamine. Significat enim caro intelligentiam externam, craſſam, popularem ; ſanguis verò rationis humanæ vim, quæ omnibus intellectus noſtri concluſi-

onibus

onibus infuſa, eaſdem probabilitatis ſucco irrigat & vivificat: ſicut contrà ſpiritus dicitur interior rerum intelligentia, quæ rationis communis captum ſuperat. Beatus eſt ergo *Petrus*, quia judicium facturus de Chriſto, non ſecundùm intelligentiæ & rationis humanæ ingenium veritatis examen librat: quemadmodum faciunt Papiſtæ, præſertim in illis quæſtionibus ubi nullam fundamenti ſpeciem in verbo Dei reperiunt; ſed quia illud ſolùm ſequitur quod per Dei revelationem didicit. Neque aliquid aliud in fidei Chriſtianæ articulum intrudit, quod à Dei revelantis lumine non accepit. Propterea ſi beatitudinis appellationem ſortitur Apoſtolus, quoniam in judicio quod de Chriſto fecit, non rationis humanæ ductum, ſed meram Dei revelationem ſequutus ſit; ergo quicunque alius non conſulit cum carne & ſanguine rationis craſſæ & humanæ, in concluſionibus fidei Chriſtianæ, ſed id ſolùm attendit quod in Dei verbo revelatur, non minùs horum privilegiorum particeps eſt pro proportione ſcientiæ, quàm ipſe *Petrus*. Quod cùm non faciat maximus veſter Pontifex, ſed hominum decreta in rebus fidei verbo Dei æquiparet, nullam omninò non ſolùm ſuper cæteros Epiſcopos, ſed neque cum cæteris partem habet in hoc miniſterio. Et ſecundùm aptam hanc verborum intelligentiam, non ſolùm *Simon Bar-Iona Petrus* eſt, vel ut vos ſegniori ſenſu contenditis, petra, ſed quilibet Apoſtolorum, & modo ſuo quilibet fidelium. Et ſuper hoc fundamentum amplectendi de Chriſto quod Deus in verbo expreſſit, non quod homo ratione humana excuſſit, ædificatur Eccleſia Dei. Neque alia clavis eſt qua ſecretorum divinorum aditus reſeratur, quàm indeclinabilis verbi divini conſe-

ctatio, per quam aſſequimur ut in omnibus concluſionibus fidei, quæ vel negationis gladio ſolvuntur, vel affirmationis copulâ ligantur, ſecundùm Dei verbum, infallibilis ſit in cœlis verborum veritas ; licèt nos homines terreni divinam rerum illarum intelligentiam non capimus. Vides ergo in quam ſolitudinem rationis aberraveris, dum propter voces *Tibi* & *Tu* exemplariter propoſitas, ſoli *Petro* id arrogas quod omnibus Apoſtolis propter eandem rationem qua *Petro* commune fuit; qui non ab homine, neque per hominem, ſed per revelationem myſterium Euangelij ſuſceperunt.

D. Wright.

Nego Petrum *reſpondiſſe in perſona omnium, & conſequenter nego hîc privilegia* Petro *conceſſa, conceſſa omnibus : nam licet Chriſtus interrogaverit omnes, tamen unde tu habes quod* Petrus *pro omnibus reſponderit ? Neque Apoſtoli inierunt conſilium, neque ſententias dixerunt, neque innuxerunt* Petro *ut pro omnibus reſponderet, &c.*

Reſpon. Negas *Petrum* os reliquorum Apoſtolorum hîc fuiſſe, per cujus os ordinaverat Deus ab æterno, ut Gentes audirent verbum Dei ? Et quod magis eſt verbum Dei, ſive de Deo in Euangelio, quàm hæc ipſa confeſſio de Filio Dei, quæ propria eſt Euangelio ? Non reſpondit, inquis, pro omnibus ; non ergo reſpondit. Neque enim interrogavit Chriſtus *Petrum* quem ipſe ſe diceret, ſed omnes ſimul quid de ſe ſentirent : aut ergo reſpondit *Petrus* omnium nomine quod ſciebat omnes ſentire, aut quæſtioni Chriſti non ſatisfecit. Si enim tantùm pro ſeipſo reſpondit, cur non reliquorum Apoſtolorum reſponſionem poſteà viritim Chriſtus excepit: quam de ſingulis

gulis poſtulavit? Sed in eo quòd hîc ſubſtiterit, non alios ſciſcitatus ſit, apparet, quòd omnium nomine *Petrus* reſponderit quod ab omnibus credi intellexerat. Sed conſilium non inierunt, neq; ſententias dixerunt, neq; injunxerunt *Petro* ut pro omnibus reſponderet. Acutè & ſecundùm Conſiſtorij Romani leges. Imò propterea nomine reliquorum reſpondit, & omnium nomine commendationem hanc accepit quam omnes merebantur, quia non inierunt conſilium neq; ſuffragia contulerunt, quod eſſet conſultare cum carne & ſanguine, & reuelationem à judicio carnis accipere: ſed quia id quod Deus omnibus inſtillaverat, unuſquiſq; propter Dei teſtimonium, non propter conſenſus humani authoritatem ſuſcepit; quam reliquorum Apoſtolorum de divina revelatione fidem, vel per eorum confeſſionē, vel per revelationem etiam *Petrus* accepit. Licet enim ordinaverit Deus ut per os *Petri* audirent gentes verbum Dei, non ordinavit ut Apoſtoli ex eodem fonte haurirent, qui non ex homine neq; per hominem ſuſceperant. Propterea autem per providentiam Dei ab uno *Petro* prolata eſt confeſſio, ut diſcamus latitudinem ſenſus in rebus divinis variam eſſe pro captu perſonarum, ſed formam loquendi de Deo et Chriſto unimodam & uniformē eſſe oportere.

D. Wright.

Si Regi Angliæ aſtarent decem Equites Aurati, & interrogaret illos quid dicunt homines de me in mundo, et unus reſponderet illum ab alijs vocari nobiliſſimum, ab alijs ſapientiſſimum, ab alijs ſanctiſſimæ matris filium, ab alijs ſagaciſſimum, ab alijs prudentiſſimum Reip. moderatorem; tandem ſi ab illis peteret, vos autem quem me eſſe dicitis? & Dominus Roe *è medio exiliret & diceret, Veſtra Maieſtas eſt religioſiſſimus Princeps, &*

pientiſsimus, & caput Eccleſiæ Anglicanæ. Si Rex ſubijceret, Beatus tu Roe *eris in terris, quia hoc dixiſti, et dabo tibi regimen* Walliæ *& aliarum Prouinciarum adiacentium, & quicquid à te in illis partibus factum fuerit ratum habebo, ac ſi mea authoritate eſſet confirmatum. Petam modò à te Domine* Roe, *ſi tale tibi Rex conceſſit privilegium, dicereſne tu quia Rex interrogauit omnes, ideò omnes Equites haberent æqualem poteſtatem, & eodem gauderent fauore? Te non tam ineptum fore exiſtimo, quin potiùs ſi de hoc tuo privilegio aliquid vendicarent, tu illos cum contemptu reijceres, & diceres Regem te nominaſſe, tibi in ſpeciali verba feciſſe, de illis prorſus ſiluiſſe, nec nominaſſe, nec inſinuaſſe; cur ergò de tali privilegio quicquam ſibi arrogare auderent? Verùm dicent illi, Rex nos omnes interrogauit. Quid tum poſteà? nullus tamen ex vobis reſpondit. Perindè ſe habet iſta noſtra controverſia de privilegio conceſſo S.* Petro, *& non extenſo ad reliquos Apoſtolos.*

Reſpon. Infœlix es Domine Doctor, quià caro & ſanguis revelavit tibi ineptum hoc exemplum, non autem Pater cœleſtis. Numquid in hoc loco promiſit Chriſtus *Petro* Imperium Romanum, aut poteſtatem ſuper reliquos? Minimè: ſed tantùm claves regni cœlorum. Quid eſt clavis niſi ratio aperiendi & claudendi, per quam quis in ſcientiam Myſteriorum Dei & ſocietatem Sanctorum admittitur, quam Chriſtus *Petro* & omnibus cum *Petro* non acquieſcentibus rationi carnali, ſed ductum verbi revelati ſequentibus, promiſit. Stultè enim cogitas, ſi exiſtimas per regnum cœlorum locum aliquem intelligi, qui *Iouis* veſtri *Patulcij* et *Clauſij* imperio claudatur & aperiatur; licet cœlum ipſum locus ſit. Si enim omnes Chriſti parabolas de

regno

regno Dei perpenderis, nihil tale vel per ſimplicem hiſtoriam, vel per vim analogiæ collegeris. Sed etiamſi jus imperij ſpiritualis hìc contineretur, per quod poſſent homines pro libito arceri vel admitti in cœlum, non tamen adeò anguſtæ ſunt res divinæ, ut non poſſint à pluribus ſimul poſſideri. In agone gymnico multi currunt, ſed unus accipit brabium, *Sic currite* (inquit *Paulus*) *ut comprehendatis*, (ſc.) non unus ſeorſim a reliquis, ſed unus cum omnibus. Non eſt divina poteſtas impatiens conſortis, ut de humana loquitur Poeta: Sed *Fecit nos Reges & Sacerdotes:* non unum & alterum, ſed omnes pios; non quidem quoad actum adminiſtrationis Eccleſiaſticæ, ſed quoad libertatem & fructum vitæ ſpiritualis & divinæ. *Vincenti dabo* (inquit) *ſedere mecum in throno, ſicut ego vici & ſedi cum Patre meo in throno eius: Hæc eſt victoria quæ vincit mundum fides noſtra*, cujus cùm omnes pij participes ſint, in poteſtatis etiam divinæ partem veniunt. Undè non unica ſella curulis pro Maieſtatis privilegio S. *Petro* in regno Chriſti erigitur, ſed duodecim ſingulis Apoſtolis: undè duodecim tribus Iſrael Dei per uniformem & unanimẽ Apoſtolorum doctrinam judicantur.

Non rectè ergò comparatæ ſunt exempli tui lineæ, quæ tam difformiter rem propoſitam attingunt. Sed unum eſt in parabola tua quod in tranſitu attigerim. Si ita de maieſtate optimi Principis reſpondeant homines: certè beſtias eſſe qui eum *Iuliano* Imperatore quoad pietatis laudem ſuperiorem non faciant.

DOMINVS ROE.

At Chriſtus Dominus in Iohanne *omnibus Apoſtolis hanc eandem conceſſit poteſtatem, quando dixit;* Quorum peccata remiſeritis, remiſſa ſunt, &c.

D. WRIGHT.

D. WRIGHT.

Non eſt verum, hoc loco tantam autoritatem conceſſam Apoſtolis omnibus, quantam Chriſtus conceſſit S. Petro. Nam q. hoc loco Chriſtus illis conceſſit tantummodò poteſtatem abſolvendi à peccatis & retinendi peccata: at verò multò plura Petro *conceſſit; videlicet poteſtatem excommunicandi, leges ferendi, ſacris interdicendi, &c. Vel ſi alijs Apoſtolis concederentur, hoc fieret dependenter à* Petro, *cui in particulari dicta ſunt illa* Mat. 16. *Vnde reliqui Apoſtoli ſi Chriſti oves ſunt, à* Petro *paſcendi ſunt, & per conſequens illi ſubditi fuerunt.*

Reſpon. Quanta ergò arrogantia uſus eſt S. *Paulus* cùm *Petro* in os reſiſteret, ſubditus Domino ſuo, & coram omnibus minor majorem coargueret? Et *Corinthum* inceſtum traderet Satanæ ad interitum carnis, non demandata per *Petrum* poteſtate? Et quod nulla tergiverſatione excuſari poteſt, quòd ſeipſum *Petro* æquaverit, nihiloq; inferiorem fuiſſe aſſeveraverit. Si jam Romæ viveret *Paulus*, primus facti hujus cenſuram audiret à *Paulo* quinto, & in illum carcerem concluderetur, pro vindicata clavium æqua poteſtate, undè nulla clavium poteſtate exitum invenirit. Eóq; miſerabilior eſſet *Pauli* noſtri conditio, quòd nunquam in ſocietatem Chriſti admitti poſſet in cœlis, qui quacunq; Papæ preſumptione ex cœtu fidelium exterminatus eſſet in terris.

FINIS.

C 21152

5353

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION